SIMONIS STAROVOLSCI


PANEGYRICVS

SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO

PRINCIPI

VLADISLAO SIGISMVNDO,

OB VIRTVTEM
OMNIVM VOTIS ACCLAMATO POLONORVM REGI,
OB IVRA HEREDITATIS
LEGITIMO SVECORVM MONARCHÆ,
OB REGIAM INDOLEM
ELECTO MAGNO MOSCORVM DVCI,
OB ADNATAM FELICITATEM
BELLICOSISSIMORVM IN AQVILONE POPVLORVM
GOTHORVM, VANDALORVM, ATQVE SARMATARVM
IMPERATORI,
INCLYTO, PIO, FELICI, AVGVSTO,
BONO ORBIS CHRISTIANI NATO,
CONSECRATVS.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXIII.

Psalm. LXXI.

ORIETVR IN DIEBVS EIVS IVSTITIA, ET ABVNDANTIA PACIS: ET DOMINABITVR A MARI VSQVE AD MARE.

SIMONIS STAROVOLSCI PANEGYRICVS, SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO PRINCIPI VLADISLAO IV. DEI GRATIA REGI POLONIÆ, MAGNO DVCI LITVANIÆ, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆQVE, SVECORVM, GOTHORVM, VANDALORVMQVE HEREDITARIO REGI, ELECTO MAGNO MOSCORVM DVCI, CONSECRATVS.

BOno omine STAROVOLSCIVS, quasi priscâ libertate natus, ad VLADISLAVM, quasi gloriâ potentem, venio: subditus, ad Regem venerabundus accedo: Eques, nouum Imperatorem auspicatò saluto: Sarmata, Polonici fastigij apicem Principi meo gratulor. Cur enim non faciam? cùm & Poloni, quam sanguine acquisiuimus, priscâ libertate nihil præstantius habeamus; & quos ob virtutem Regio honore dignamur, tamquam auctoribus & conseruatoribus illius, nihil magis præter immortalem gloriam exoptemus? Maximè verò tibi, VLADISLAE SIGISMVNDE, REX AVGVSTISSIME: quem communem nobiscum patriam sortitum, non dubitamus, quid Polona libertas sit, optimè nosse; & quem nunc prosperè inauguratum, votis complectitur Sarmatica felicitas, tantumque de te exspectat, quantum nomine polliceris. Quòd si enim nomina non te-

merè creduntur indi, sed vel ex præteritorum aut præsentium animaduersione, quemadmodum in Cratylo disserit Plato, vel etiam futurorum præsagio quodam, velut in Litteris sacris: profectò non absurdè quis arbitretur, si minùs in priuatis, certè in Principibus appellationes istiusmodi nequaquam fortuitas esse, verùm aliquid minimè negligendum portendere; tuumque istud VLADISLAI nomen, ominis instar nobis esse, qualis sis in regnando futurus. Quod sanè vocabulum seu nomen, cùm in nullo ferè Principum Polonorum exstiterit, qui non præter alias laudes, belli quoque gloriâ præstiterit; idcircò tibi etiam, REX AVGVSTISSME, à parentibus fatali nutu impositum cùm nascereris, vt primùm fuit in Sarmatiâ nostrâ auditum, continuò tacita quædam in omnium animos impressa fuit diuinatio de tuâ claritate futurâ: quòd videlicet & illud ipsum sit à tam inclytis Principibus deriuatum, & quòd gloriosissimi maiores tui ex eorumdem sanguine fuerint prognati. Quorum cùm nunc tu indolem feliciter repræsentes, iisdemque vestigiis, quibus & illi, ingrediaris; certissimo nimirum augurio ducimur, nos te bellicis in negotiis Ducem habituros, non solùm egregiè strenuum, verùm etiam felicem & victoriosum. Sicut itaque libertatis prærogatiuâ, qui sub sole sunt, populis omnibus Poloni eminemus; ita tibi, REX VLADISLAE, eius conseruatori & custodi, felices de hostibus victorias exoptamus: qui, vel ipso nomine tuo te incitante, nullius vmquam rei maius desiderium habes, quàm laudis immortalis & gloriæ sempiternæ. Tibi itaque libertatis nostræ vindici, non sine dextro quodam Numine, concordibus ciuium suffragiis electo, longa annorum curricula, faustos atque prosperos semper dies, felicemque in omnibus optimæ tuæ mentis exitum, enixissimè apprecamur: ac iisdem propè verbis consalutamus, quibus olim Diuus Cæsar Augustus, qui primus ad Imperium, Senatus populique Romani consensu assumptus erat, per Valerium Messalam à Senatu missum salutatus fuerat. *Quod*, inquit, *felix faustumq; sit tibi, domuiq; tuæ, Auguste, Senatus consentiens cum populo Romano, te Patrem Patriæ consalutat*. Sic post Diui Sigismundi III. piæ & felicissimæ recordationis Patris tui (quem Deus Opt. Max. à quo cuncta procedunt, ex hac vitâ superiori anno sustulit) luctuosam Reipublicæ nostræ mortem, Reuerendissimi Poloniæ Antistites, Illustrissimi Proceres Sarmatiæ, totaque Lechitica gens, & prouinciarum Regni Nobilitas, Præpotentis Dei nutu beneficioque debitum virtutibus tuis sceptrum, & Regiam coronam offerentes, tanto nunc gaudio te, VLADISLAE PRINCEPS INCLYTISSIME, Regem ac Dominum suum consalutant, tanto affectu & votis ardentibus, legum suarum tutorem & executorem constituunt, tantamque ex hac tuâ inauguratione animorum lætitiam persentiunt, vt eam nulla vis ingenij, nullius eloquentiæ copia, nullius ornatissimæ orationis splendor explicare valeat. Tuis siquidem auspiciis, post ingentes Interregni fluctus, redditam cernimus legibus nostris sanctitatem, consuetudinibus auitis auctoritatem, moribus decus, amplitudinem Senatui, Ordinibus dignitatem, reuerentiam Clero, vnitatem ciuibus; & omnibus denique incolis Sarmatiæ, securitatem & tranquillitatem. Hæcque sola erat ratio, REX AVGVSTISSIME, cur tibi potissimùm boni omnes communibus votis, istum Regium honorem mandari & optauerint, & optare debuerint, exque eo eximiam quamdam perceperint voluptatem: quòd solus videlicet ex omnibus mortalibus iudicabaris esse, qui diminutum ac ferè exhaustum Regnum restaurare possis, qui implumem Aquilonis Aquilam refouere valeas, qui præteritos antecessorum defectus suppleas, præsentem statum illæsum conserues, & futuris successoribus opportunè consulas; cumque in hostes patriæ audaciam, tum in ciues benignitatem, in vtrosque autem prudentiam & moderationem exerceas. Hoc à Diis immortalibus omni votorum nuncupatione Poloni tui deposcimus. Hoc à tuâ virtute, REX VLADISLAE, exspectamus. Te publicæ salutis custodem, te Nobilitatis nostræ patronum, te Senatus tutorem, te populorum parentem, te vitæ vindicem & libertatis Sarmaticæ

maticæ aſſertorem, concordibus vocibus nuncupamus & veneramur. Tibi gratulamur de iſto honore auguſto, de quo nobis etiam ipſi mirificè gaudemus; eumque tibi felicem, fauſtum ac proſperum ſummè concupiſcimus, vt totius Septemtrionis Imperator conſtitutus, felicitate Polycratem, opibus Crœſum, victoriis Caium Cæſarem, triumphis Pompeium Magnum præcedas: illaque tum domi tum foris, in ſago & togâ, nuſquam facere deſiſtas, quæ tibi pariter ac nobis viam ad æternitatem muniant, & facilè ætatem ferre poſſint. Cùm autem nemo Princeps ſibi tantùm bonus ac felix ſoleat eſſe, ſed multò magis patriæ in quâ naſcitur, & populis quibus imperat; nullaque alia ſit Regum ac Imperatorum felicitas, quàm vt ſuos felices faciant: profectò nihil æquè publicis votis optandum, nihil æquè gratulatione dignum, ac Principis optimi ſucceſſus. Cuius ſapientia, auctoritas, maieſtas, quantum à diademate Regio ſplendoris haurit, tantum viciſſim in illud refundit ac regerit; quantumque radiis virtutis thronum ſuum illuſtrat, tantum ſubditos efficit beatos. Proinde, quamuis non ſim eius ingenij, quo poſſim merita verbis adæquare, & diuinas tuas virtutes, VLADISLAE REX AVGVSTISSIME, æquo præconio celebrare: quò tamen & tu ipſe bonum veluti quemdam & fragrantem odorem ex tuis laudibus perſentias, eoque deinceps ad labores & gloriam concitatior euadas; & nos ſubditi tui, orbiſque vniuerſus cognoſcat, quàm charum cælo Principem, omniumque facilè tum optimum, tum fortunatiſſimum, Poloni inaugurauimus, debitâ eas veneratione ſuſpiciam, & hunc quantulumcumque TVÆ MAIESTATI dicabo ſermonem.

Quandoquidem autem nihil aliud ſit optimo Principi de ſuâ felicitate & ſublimatione gratulari, quàm cæleſti beneficentiæ, cui ſummam bonorum acceptam ferimus, gratias agere, quòd nutantibus Reipublicæ noſtræ fatis, dederit Moderatorem illuſtrem, optimum, ſapientem, religioſum, fortem, iuſtum, clementem, & qualem ne votis iam quidem noſtris maiorem Poloni concipere poſſumus: nihil

hil profectò præſentis temporis feſtiuitati magis congruit, quàm vt, redditis præpotenti Numini debitis gratiis, ex lætitiâ noſtrâ cognoſcant vicini populi, feliciſſimos nos eſſe, qui te, VLADISLAE REX, diuino munere, celeberrimum & fortiſſimum Principem, admirabili omnium Sarmatiæ noſtræ ciuium & Optimatum conſenſu, REGEM POLONIÆ ſalutauimus. Qui omnino talis & tantus es, in quo vel plura, vel maiora, quàm præ te feras, optare, comminiſci, deſiderare, pudor profectò ſit; non approbare autem, omnino peccatum. Sicuti enim non improbare vitia, quæ ſæculum inficiunt, maligni hominis eſt; ita quoque inuidi, non mulcere virtutem, quæ veris laudibus ornata, tantò magis creſcit, & in dies corroboratur. Quamquam itaque nihil eſt, VLADISLAE REX AVGVSTISSIME, quod vel à naturâ, vel à virtute, vel à fortunâ ſit exſpectandum, quin cumulatiſſimè conſecutus eſſe videaris; & iam pridem eas res geſſeris, artibus pacis & belli, quæ nomen tuum æternitati commendare poſſint: hinc tamen, opinione cunctorum, fructum omnis anteactæ vitæ tuæ maximum cepiſti, quòd ſolium Diui patris tui, qui nobiliſſimas gentes, ferociſſimos populos, bellicoſiſſimas nationes, non minùs armis quàm ſapientiâ vicerat, ciuium tuorum ardentibus votis, liberiſque ſuffragiis conſcenderis. Tum, quòd nullus à conditâ Poloniâ Princeps fuiſſe à Scriptoribus noſtris memoretur, in quem tam ſubitò vniuerſæ patriæ Optimatum, ciuium, populorum, atque Orbis propè totius ſtudia, tanto ardore, tamque fatali beneuolentiâ conſenſerint. Nullus tam charus Principibus Chriſtianis. Nullus tam metuendus barbaris. Nullus qui ſic omnium ordinum, ætatum, apud ſuos, apud exteros, publicè, priuatim, penitùs inſederit affectibus. O te igitur beatum, VLADISLAE, cui certatim fortuna virtuſque tua, pro gloriâ tuâ contendunt! habes etenim, quibus plura deſiderare non poſſis: genus Heroicum, patriam ſplendidiſſimam, Regna opulentiſſima, ciuium amorem conſtantiſſimum, affinitates totius Europæ Principum amiciſſimas; & quod ad immortalitatem

tem comparandam maximè conducibile eſt, diuinam propemodum cùm corporis tum animi indolem. Quæ ſingula, ſicuti rariſſimè in vnum quempiam congeſta conſpici ſolent; ita ſanè in te, mirâ ſummi Dei clementiâ collocata, te ſummè ornatum inter Reges ac Principes reddunt, & maximopere illuſtrant. Natus ſiquidem es familiâ tali, cuius Regia ſtemmata recenſere, æquè ſtolidum eſſet, ac ſi quærere quoque, num bellicoſiſſimi Septemtrionis populi, Gothi, Suedi, Vandali, atque Sarmatæ, Reges vmquam ſuos habuerint: quibus maiores tui, tot ætatibus, tot ſæculis feliciter imperarunt. Tanta quippe nobilitas originis tuæ, tantum lumen Regiæ domus ac ſtirpis, vt nihil tibi addiderit honoris hoc Diadema, quod contulimus, nihil ſacrum iſtud Solium, quod conſcendiſti; quinimò vtrumque illud tuarum adhuc virtutum radiis, ac diuinæ gentis origine, mirificè illuſtratum eſt. Atque propterea non eſt animus in præſentiâ, incomparabile generis tui decus, paternum atque auitum Regiis imaginibus inſigne, maternum verò Auſtriacæ Domus magnitudine inclytum, tenuitate ſtili, non tam celebrare, quàm offuſcare: quos vtroſque ſic pacis, ſic belli decora nobilitarunt, vt cuiuis veterum Heroum poſſint, non ſolùm conferri, verùm etiam anteferri. Quæ omnia, ſi ſummæ ipſorum fortunæ defuiſſent, ſolus pater tuus SIGISMVNDVS, ad ſplendorem illuſtriſſimi generis, ad Regij nominis gloriam, & famæ æternitatem ſuffeciſſet: qui Rempublicam noſtram, poſt obitum fortiſſimi Regis STEPHANI BATTOREI, Interregni fluctibus concuſſam, & ciuium diſcordiis in partes diſſectam, pænè ab interitu ad vitam reuocauit, viribus firmauit, auctoritate muniuit, dignitate auxit, opibus honeſtauit. Cuius fama, iampridem ſumma & immortalis, nunc quoque per te creſcit, tuæque gloriæ gradibus apicem Regij faſtigij tranſcendit. Clarior quæque virtus, vti ſapientes dicunt, neceſſitatem omnino quamdam æmulandæ alienæ gloriæ ſibi ipſi imponit, & quaſi perpetuò adhærens monet, nullo genere committendum, vt partum decus ſuâ ſo-

cordiâ deſerat. Proindeque maiorum gloria, non tantùm poſteris lumen, ſed etiam ad ſumma quæque incitamentum eſt: quia vt illis pulchrum & laudabile fuit, gloriam párere, & ſuis relinquere; ita his turpe erit, eamdem à maioribus acceptam tueri & augere non poſſe. Pari ferè modo & patriæ gloria, poſt generis ſublimitatem, excellentibus ac generoſis animis eſt calcar ad virtutem, ad res præclaras ſtimulus, & ad magna facinora incitabulum. quæ tibi, VLADISLAE REX AVGVSTISSIME, eſt nobiſcum communis. Terra optima, ferax frugum, fructuum, metallorum, omniumque optimarum rerum fertilis; gregibus, piſcibus, armentis abundans; cuius latitudo & longitudo tam multa, tam ampla, & tam immenſa eſt, vt plus habeat apud politiores populos admirationis, quàm apud plebem credulitatis. Hæc in omni genere virtutum viros præſtantes parit, qui & animi & corporis dotibus excellunt: habetque, vel te ipſo teſte, fortiſſimos milites, experientiſſimos Duces, facundiſſimos Oratores, clariſſimos Vates. Hæc eadem religionis Catholicæ propugnaculum eſt, hæc pietatis Chriſtianæ vicinis populis exemplum. Quæ cùm ſemper Regum ſuorum ac Principum obſeruantiſſima fuit, tum quoque te, VLADISLAE PRINCEPS INCLYTISSIME, amat vt ciuem & alumnum, colit vt Regem & Dominum, veneraturque ſincero affectu, vt publicæ felicitatis parentem, vel ipſius Numinis inſtinctu deſignatum. Ergo nunc communia tibi nobiſcum, REX AVGVSTISSIME, tam læta, quàm triſtia omnia; nec magis ſine te Sarmatæ tui non eſſe felices, quàm tu ſine nobis potes. Et vt omnino felices nos efficias, opus eſt, vt tuo exemplo ad honeſtatem, tuâ tutelâ ad pacem, tuis rectè factis ad pulcherrimam gloriam nos dirigas, inſtruas, & promoueas. Nec enim temerè exiſtimandum eſt, REX AVGVSTISSIME, Principes & Imperatores, quorum conditio in terris ad Deum accedit, caſu eligi aut fortunâ, & hominum imperio, ſine Numine & occultâ quadam Fatorum poteſtate, præfici: ſed fiunt reuerâ, vt probitate præluceant, ma-

ieſtate ornent, conſilio iuuent, auctoritate muniant, prudentiâ foueant, & dignitate augeant ſubditos ſuos, quibus imperitant. Quapropter, VLADISLAE REX, natura te inclyti Poloniæ Regni Principem genuit; tua verò virtus, quâ Rex creatus es, te nunc huius eiuſdem parentem effecit: illa fuit communis reliquis Principibus, Sereniſſimiſque fratribus tuis, naſcendi conditio; hæc verò, præter primogenituræ prærogatiuam, probitatis ac prudentiæ tuæ ſingularis, teſtis eximia. Qui, vix ab incunabulis egreſſus, liberale ſtatim ingenium, & ſupra ætatem animi magnitudinem oſtendiſti, atque illis potiſſimùm artibus vacaſti, illis diſciplinis, præceptorum monitis obtemperans, incubuiſti, quæ ad tantum munus obeundum neceſſariæ videbantur, & ad reddendum te tanto ſceptro dignum eſſent accommodatæ. Vltra quod, tot annis, in gremio ſapientiſſimi Patris, regendi diſciplinam feliciter hauſiſti, & huc vſque æui productus, ab exemplo illius imbibiſti Regias virtutes, comitatem, moderationem, prudentiam, conſtantiam, grauitatem, iuſtitiam, quibus deinde poſſes Reipublicæ noſtræ Polonæ nauem, mediis quoque in fluctibus ac tempeſtatibus, gubernare. Vnde ambigendum non eſt, quin rerum gerendarum gloriâ, ſuperiores VLADISLAOS omnes, quinimò anteceſſores tuos Reges Poloniæ omnes, Diuumque patrem tuum SIGISMVNDVM æquare debeas, aut etiam ſine controuerſiâ ſuperare; hoc præſertim tempore, quo plurima ſe offerunt & noſtræ & totius Chriſtianæ Reipublicæ pericula, re & exemplo pertimeſcenda. Et quantum ad bellicas artes, & militarem gloriam: dediſti, REX AVGVSTISSIME, iamdudum experimenta virtutis felicitatiſque tuæ euidentiſſima, contra varios ac multiplices Poloniæ hoſtes à Patre tuo miſſus: à Patre inquam, quo nemo Regum veterum Ducumque Poloniæ, vel maiora geſſit in Moſcouiâ, vel fortunæ ac virtutis maius pretium ab vniuerſis tulit. Nam & Smolenſcum, ante centum ferè annos nobis ereptum, cum vniuersâ Seuerienſi prouinciâ reſtituit; & ampla illa Ruthenorum

Regna vſque ad Hyrcanum mare populatus, ac vrbe metropoli Moſcouiâ, à quâ toti Imperio nomen, armis potitus, ipſum quoque Magnum illorum Ducem Ioannem Suiſcium, cum fratribus eius, Demetrio atque Baſilio, illo exercituum ſupremo Præfecto, iſto Regni Cancellario, totoque ferè Senatu, & Religionis Patriarchâ, Varſouiam in triumphum duxit. Eoque ſanè facto, ſimul & tibi, REX VLADISLAE, tum temporis adhuc adoleſcentulo, ad magnum illud Aſiaticæ Sarmatiæ Imperium, & militarem gloriam, viam ampliſſimam aperuit: cùm tu videlicet à debellatis hoſtibus in Principem electus, ad proſequendum ius tuum armatus proceſſiſſes, qui nuperrimè liberis vocibus expetitus, vnicum auxilium feſſis bello eorum rebus videbaris eſſe. At fata te nobis deſtinatum, à perfidiſſimæ gentis ſcelere, cui Principes ſuos laniare ludus eſt, mirabiliter ſeruarunt, noſtræque Europææ Sarmatiæ præeſſe voluerunt, qui ad totius Orbis regimen ſufficeres. Igitur offenſus dolo inconſtantiaque ipſorum, qui vltrò Staniſlao Zolkieuio, Polonæ militiæ Magiſtro, fidem ſpoponderant, teque ardentibus votis expetere ſimulabant; cum Lituanicarum copiarum Summo Præfecto, Carolo Chodkieuicio, in meditullium vſque Moſcouiæ progreſſus, ita ſæpè, ita fortiter, ita feliciter aduerſus ſchiſmaticos illos Ruſſos dimicaſti, vt vbique verſutiſſimæ gentis aſtus conſilio eluſeris, temeritatem eorum virtute domueris, pertinaciam conſtantiâ fregeris, opulentumque illum Ducatum Seuerienſem, ac Czerniehouienſem prouinciam ſeptuaginta ferè oppidis frequentem ab illis extorſeris; cùm neſcio quæ infeſtior fortuna, tuæ inuidens felicitati, totum Imperium denegaſſet, barbarâ illâ gente, & ad tumultus contra Catholicos pronâ, ad rebellionem repentè concitatâ. Vbi actas à te ſub pellibus hiemes, æſtates inter bella ſudatas, dies nocteſque præliando aut vigilando conſumptas, quis pro merito explicare poterit? Non tam patiens Boleſlaus Chrobrus rudimenta militiæ, ſub Mieſcone patre, duro tum temporis Sarmatâ, tolerauit;

lerauit; nec pari indole Boleslaus Criuoustus puer in tentoria Seciechi bellicosissimi Ducis successit; nec futurarum spe certior virtutum, Nicolai Palatini Cracouiensis castra Lescus Albus, nondum diademate reuinctus impleuit: quos etsi plurimâ laude dotauerint nostri Scriptores, nullus tamen tecum in militiæ peritiâ exæquari poterit, quam tu magno illo Heroë monstrante didicisti. Verùm hæc incunabula tibi, REX AVGVSTISSIME, & rudimenta sanè fuêre, cùm iuuenis admodum tunc Moscouiticâ lauro gloriam Patris augeres. Maiores certè ac longè clariores triumphos è Daciâ ciuibus tuis exhibuisti, quando immanissimos CHRISTI hostes Turcas ad Chotimiam repressisti, repulisti, deuicisti: & quod potissimùm celeberrimæ illi victoriæ, tuæque, INCLYTE REX VLADISLAE, gloriæ ac splendori attribuitur, tam superbum Tyrannum, tamque numeroso exercitu instructum, vt supra trecenta pugnatorum millia in castris eius numerarentur, ad pacem petendam adegisti. Cùm etenim annis abhinc circiter tredecim, sceleratissimus ille & religionis & patriæ nostræ hostis, Byzantij Imperator Osmanus, validissimis copiis in Valachiam immissis, milites nostros qui Gratiano Regulo suppetiabantur, ad Czeczoram multitudine suâ oppressisset, perque vicinas Russiæ prouincias, Scytharum phalangibus dimissis baccharetur, vastaret Podoliæ agros, oppida Volhyniæ diriperet, depopularetur Pocuciam, incenderet Premisliensis districtus pagos; non sexui, non ordini, non ætati vlli parceret; cæde ac sanguine compleret omnia: Tu, VLADISLAE REX INVICTISSIME, à Patre tuo diuinissimo illo Principe, cum legionibus & tribunis tuis missus, tantâ alacritate æstate sequenti bellum, contra furentem illam belluam, Turcicum inquam Cæsarem ipsum, suscepisti, tanto animi ardore gessisti, tantâ prudentiâ felicitateque confecisti, vt vnâ æstate tam immensas opes, & tam ingentes barbarorum vires, nemine ex Christianis Principibus suppetiante, solus præter omnium opinionem attriueris; atque tibi apud ciues tuos amorem, apud exteros vero

rò atque posteros immortalem gloriam, comparaueris. O vis virtutis, quid non in pectoribus verè generosis efficis? quid non attentare atque audere sublimes animos iubes? Cùm omnes incolæ Sarmatiæ, panico quodammodò terrore, post cladem illam Czeczoriensem consternati iacerent, cùm duces Poloniæ & milites ferè præcipui in acie cecidissent, aut capti in seruitutem abducti fuissent, cùm vicini & remotiores populi iam de nobis desperassent: Tu Regis filius, regios animos sumens, non secùs ac salutaris quidam Genius, concitatos illos barbariæ fluctus in instanti ferè tuâ præsentiâ pacasti; surgentes ab Asiâ ventorum turbines, tuâ virtute depulisti; optatissimam cælo Sarmatico serenitatem tuâ felicitate induxisti; consternatosque Polonorum tuorum animos, tuâ prudentiâ, tuâ animositate, ad meliorem spem incitasti, ac victoriâ recreasti, ex ipsis faucibus fati Republicâ nostrâ seruatâ. Macte ergo hac tuâ dexteritate, tuâ fortunâ, VLADISLAE REX INVICTISSIME: hæc enim incorrupta meritorum testis posteritas mirabitur, & digno præconio consecrabit: hæc patres seris nepotibus lætissimis votis tradere gestient: hæc Historiæ genius futuris sæculis seriò commendabit: ciuesque Poloniæ ipsi, non fortunas modò suas, quòd per te fuerint tunc seruati, verùm etiam sua capita, quoties res tulerit, sine vllâ cunctatione pro te in quodlibet periculum offerent. Qui equidem sic per te seruati, vt te barbarica illa trophæa reportantem tum temporis exceperint; vt ominibus optimis prosecuti fuerint, cùm Cracouiam metropolim Regni ingredereris. Testis tu ipse PRINCEPS INCLYTISSIME, testis hic dies felicitatis publicæ auspex, qui te ibidem locorum priscâ consuetudine Sarmatico Imperio inaugurauit; vel ex inde votis omnium exoptatum. Quapropter, REX SERENISSIME, armorum gloriæ, adnatæque tuæ felicitati, multum subditi tui debemus; tantumque tribuimus virtutum tuarum meritis, quantum consecuti sumus per te incolumitatis. Nam licet tu à teneris annis ita vitam tuam institueres, mores componeres, actiones tuas formares, vt dignus redderis

dereris paterno ſolio, quod tibi nunc in Comitiis Varſouienſibus omnium ſuffragiis conſcendere datum eſt; præcipuè tamen ob dignam tuo nomine armorum gloriam, & ſtudium rei militaris ſingulare, in Regem noſtrum electus es: vt cùm Patrem habueris, vltra omnes retrò Principes Sarmatiæ noſtræ laudatiſſimum, præterque centum & quinquaginta velitares pugnas, quatuor & quadraginta celeberrimis victoriis glorioſiſſimum, ipſe non inferior peritiâ rei bellicæ illo exiſtas. Qui diuturnitate regnandi edoctus, gentem noſtram inter arma, ac propemodum cum armis natam, bellicoſiſſimis Regibus gaudere; ita te, veterum Sarmatarum more, plurimis bellis & difficillimis Reipublicæ temporibus exercuit, dum aptaret Imperio, vt & vltimo ſuæ ætatis bello, te caſtrenſe contubernium ſecum habere in Pruſsiâ iuſſerit: quò poſſis ciuibus tuis monſtrare, te aliquando muneri paterno haud imparem futurum. Atque hæ bellicæ quidem laudes, quemadmodum tuæ ſunt, VLADISLAE REX, propriæ ſcilicet & peculiares; ita illæ pacis artes certatim ſibi te vendicant, fides, iuſtitia, grauitas, altitudo animi, ac moderatio eiuſdem: tum liberalitas, conſtantia, clementia, pietas, comitas, affabilitas, humanitas: quæ maieſtatem pariter & gratiam conciliant; & cùm mortales omnes ad te amandum colendumque alliciant, regij tamen Diadematis fulgori nihil officiunt, quinimò te omni laudis atque præconiorum genere ornatiſſimum reddunt. Ac primùm omnium, quanta tua erga Deum Diuoſque pietas; quos aris, ſimulacris, donariis ornaſti? quanta animi deuotio; quam piis in egenos largitionibus, religioſiſſimiſque ad loca ſacra peregrinationibus declaraſti? quanta veneratio Myſtarum & Antiſtitum; quam Pontificum omnium Patri, & Eccleſiæ totius capiti, PAPÆ VRBANO VIII. exhibuiſti? Dediſtique arrham pietatis tuæ, cùm Orbis vrbem adires, & anni Sæcularis ſolemnitatem tuâ præſentiâ condecorares, limina Principum Apoſtolorum debitè veneratus; & ſancti tui Tutelaris, Regis VLADISLAI, ſtatuam auream, deuotionis tuæ mo-

numentum

numentum reponeres, Diuam Lauretanam deprecatus. Memineris ſiquidem, te eo Parente eiſque Maioribus editum eſſe, qui, vt cultum Numinis diuini augerent, vt ſectas Religioni noſtræ inimicas exſtirparent, vt Chriſtiani nominis fines quàm longiſſimè propagarent, vt Antiſtitum Orthodoxorum auctoritatem ſanctam atque inuiolatam præſtarent; & Regna opulentiſſima ab hæreticis ſibi oblata contempſerunt, & reditus Eccleſiarum, integris Prouinciis donatis, auxerunt, & Epiſcopos dominiorum ſuorum Catholicos omnes, ſanctioris Senatus Collegio adſcripſerunt: & nullam ſibi vmquam difficultatem pertimeſcendam, nullum periculum detrectandum, nullam dimicationem refugiendam, pro aſſerendâ Chriſtianâ religione putarunt. Maximè verò pater tuus SIGISMVNDVS, vir planè diuinus, & publicæ felicitatis auctor, qui vt ſemper Regio excelſoque animo fuit, ita nihil cælo magis cognatum amicúmve eſſe putabat, quàm animum Deo parère, & mortalibus imperare gnarum. Vnde ſicuti regnare tot populis, totque nationibus, non niſi ex præſcripto honeſti ſemper ſtuduit; ſic quoque cultum diuinum, non niſi ex doctrinâ & traditione Eccleſiæ, obſeruare voluit. Quòd itaque delubra nunc Poloniæ marmore nitent, auro radiantur, beneficij Patris tui eſt; quòd Clerus augetur poſſeſſionibus, honeſtatur dignitatibus, liberalitatis Regiæ; exempli verò, quòd in iis pietas viget, fulget ſanctitas, fides triumphat. Iam autem Religio & Sacrorum cultus, ſi purè integreque ſeruetur, populos in fide & officio continet: neque ſolùm intra vrbium mœnia, verùm & inter priuatos parietes pacem & concordiam nutrit, atque eo imperia ac ſceptra florentiſſima reddit. Contrà ſi à veteribus inſtitutis recedatur, ſublatâ Sacrorum reuerentiâ, paulatim à diſceptationibus ad arma concurritur, euertiturque non tantùm Religio, ſed & ipſum Regnum. Quemadmodum itaque religionem in Deum Opt. Max. tibi ſanè ab incunabulis atque ipsâ naturâ inſitam eſſe videmus; ſic te clementiâ quoque & humanitate, quæ à Numinis reuerentiâ

ortum

ortum suum habent, Patri tuo simillimum esse lætamur: gaudemusque saluberrimo olim Principi, non libidine præcipitem, non auaritiâ cæcum, non crudelitate immanem, non furore vecordem successorem dari; sed grauissimâ modestiâ, humanissimâ comitate, simplicissimâ maiestate præditum filium substitui; & quem ne veteres quidem illi vitæ Moderatores exemplis superare, aut præceptis onerare possint. Nihil autem est, REX AVGVSTISSIME, quod Principes ac Moderatores populorum magis deceat, quàm animi moderatio & temperantia; vt quantum ceteros imperio & potestate præcellunt, tantum sibi ipsis humanitate & facili animi inductione dominentur. Nec ad pacem quoque cum finitimis retinendam quidquam vtilius esse potest, quàm Regum moderatio & compositi mores: quandoquidem ex immoderatâ libidine eorum, iniusta plerumque bella temerè suscipiuntur, scelerate geruntur, turpiter deponuntur: domi verò ciues & subditi omnes assiduè tumultuantur, variis exactionibus, variis iniuriis pressi. Licet igitur Poloni nusquam tyrannum habuerimus, aut pati potuissemus, libertati innutriti; inter varias tamen Principum nostrorum virtutes, maximè Diui Patris tui benignitatem etiamnum admiramur: qui Marci Antonini Imp. exemplo, imò Regum Poloniæ more consueto, adeò se ciuilem commodumque omnibus Principem præbebat, vt adeuntium cuiuis dexteram placidè porrigeret, vt Nobiles omnes capite aperto veneraretur, vt coram Senatu & Episcopis assurgeret, vt neminem sortis tenuioris à suis custodibus prohiberi aditu pateretur; & singulis ferè diebus pro tribunali sedens, non iustitiæ tantùm, sed & clementiæ singularia exempla subditis daret. Edoctus vel à sacrâ Scripturâ, vel à Romano Sapiente, *Principis mentem tantò in suos benigniorem esse debere, quantò sit fortunâ præstantior, dignitate nobilior, fastigio sublimior*. Atque hinc, non humanitatem modò ipsius, quâ nihil eminentius sol aspexit, læti adorabamus; sed sanctos etiam palatij eius ritus, & priscis æquanda cærimoniis instituta, libentes venerabamur. Inter quæ

quæ tu VLADISLAE REX enutritus, innatâ tuâ facilitate, omnes comitatis numeros obibas: quoscumque te adeuntes non solùm benignè excipiebas, verùm etiam suauibus verbis familiaribusque blandimentis demulcebas, si quos fortunam suam incusantes audiebas: Titique Imperatoris exemplo, neminem vmquam abs te tristem abire patiebaris; & diem perdidisse existimabas, quâ nihil cuiquam præstitisses. Sed & nunc Diademate reuinctus, & solio paterno auctus, parem comitatem, parem modestiam, parem in tuos charitatem repræsentas: cumque iis, qui se tibi aliquando virtute commendarunt, consuetudine delectarunt, vtilitate demeruerunt, incorruptâ Regiâ Maiestate, in omnia familiaritatis officia descendis: & nec videri modò patiens, sed facilis adiri, è proximo ciuium tuorum vota accipis; Principemque obliuisceris, vt amicum præstare possis. Quapropter alij ceteras in te dotes narrent, quæ, etiamsi purpura & coronæ abfuissent, famam tamen & scriptores haberent; ego solam Maiestatis tuæ humanitatem deprædicabo, quâ ætatis nostræ nemini cedis, & quæ vna inter innumeras virtutes tuas adeò splendet, vt existimem veniam mihi facilè concedendam, si quid minùs ornatè, minùs accuratè, minusque disertè de eâ dixerim. Hæc enim tam admirabilis in te est, quàm rara in principantibus; tam clara in Rege, quàm iucunda fuit in priuato. Si modò priuatus dici poteras, qui atauis Regibus prognatus, ad sceptra manus sub patre parabas; adque augendum fastigium, rem nullam aliam requirebas, præterquam ciuium tuorum amorem: optimè gnarus, quòd vt fastus & elatio superba deturpat cuiusuis dignitatis eminentiam, sic facilitas & submissio Principum exornat sublimitatem ipsorum, subditorumque beneuolentiam sibi facillimè conciliat. Nec in summâ potestate crescere quis alio modo potest, nisi si se ipse submittat, securus magnitudinis suæ. Igitur tam sublimi genere ortus, tam illustri & glorioso Patre natus, statuisti, REX AVGVSTISSIME, mortales omnes humanitate tibi deuincire, non maiestate perstringere; facilitate

cilitate allicere, non ſeueritate deterrere: & qui nunc in Comitiis electionis contrarij tibi fuêre, Regiâ clementiâ amicos tibi parare, quàm ſeuerâ iracundiâ miſeros efficere. Idque ipſum Patris tui clementiſſimi Principis exemplo, qui in ſimili negotio ciuibus pro ſuâ libertate Auſtriaco eius æmulo ſuffragia adſcribentibus, atque iterùm poſt aliquot annos bello ciuili contra ſe inuerecundè inſurgentibus, benigniſſimè ignouerat; *pulcherrimum arbitratus*, vt inquit vetus Panegyriſtes, *adhærere lateri regio, non timoris obſequia, ſed vota pietatis*. Et quoniam optimum quemque Principem niti & contendere decet, vt non tantùm moderationis exemplis, ſed iuſtitiæ quoque monumentis, etiam poſt ſe, Reipublicæ proſit; ideò iuſtitiam Patris atque pietatem, REX AVGVSTISSIME, ſic imitaris & ſequeris, vt omnibus ad te confugientibus, diuerſamque opem, aut contra aliorum iniurias, aut pro ſuis commodis poſtulantibus, quaſi legata Patris videaris exſoluere. Amas ad hæc conſtantiam ciuium: rectoſque ac viuidos animos Nobilitatis noſtræ non contundis, vt alij Principes conſueuerunt; aut deprimis, vt Tyranni barbarorum: ſed foues, vt verus Sarmata; & attollis, vt animoſus Polonus; optimumque ac doctiſſimum quemque ſponte perquiris, vt optimus Princeps; atque illis vltrò honores, vltrò Sacerdotia, & vrbium Prouinciarumque præfecturas offers. Hi amicitiâ tuâ, hi iudicio florent: his reliqui libenter parent, his vniuerſi velut tibi ipſi fauent; nec vllus ferè inuidet, quia omnes ſciunt te non niſi ex optimis amicos ſeligere. Adeoque hinc tuæ probitatis tuæque ſapientiæ ſplendor omnium mentibus affulſit, vt aurea illa, quæ ab antiquis tempora Saturni vocabantur, eueniſſe iterùm videamus, quibus Aſtræam ipſam in terras è cælo, tuæ Maieſtatis fretam numine, rediiſſe conſpiciamus. Nam quid ego de prudentiâ dicam, quâ te pænè credimus fore ipſo Patre potiorem? Hanc enim tibi non tantùm domi & in Poloniâ ſolâ, ſed etiam foris, vt celebratus ille Vlyſſes; & nec præceptis ſolùm aut lectione, ſed vſu diuturno & obſeruatione diligenti

genti ſub Patre tam ſapienti Rege comparaſti: dediſtique tam multa experimenta in rebus bellicis & Reipub. adminiſtratione, vt nihil penitus ſit, quod non ſperemus tuâ virtute & prudentiâ poſſe inſtitui, magnitudine confici, conſtantiâ vigilantiâque obtineri. Ac propterea nolo hîc prætere tuæ peregrinationis decus, ſplendorem, feſtiuitatem, amplitudinem; quòd non aliâ viâ pertingi ad veram germanamque ſapientiæ laudem putauerit antiquitas, quàm variis obeundis regionibus, cominus noſcendis omnis generis mortalium ingeniis, periclitandis exercendiſque negotiis. Vt primùm itaque, Diuâ Czenſtochouienſi exoratâ, patrios fines, REX VLADISLAE, egreſſus fueras, certatim extemplò in Sileſiâ, Morauiâ, Auſtriâ, apparabantur illuſtres ciuitatum, Optimatum, Præſulum legationes & occurſus, qui te Viennam omnes ad auunculum tuum SACRATISSIMVM IMPERATOREM FERDINANDVM II. magnâ cum feſtiuitate deducere deſiderabant; niſi hanc pompam, innatâ tuâ humanitate & modeſtiâ vltrò euitaſſes, priuati in ſpeciem exiguo comitatu contentus. Aſt in vrbe ipsâ, quàm amanter ab eo & honorificè fueris exceptus, quàm ſplendidè tractatus, quàm munificè donatus, nemo eſt in Europâ qui neſciat; præſertim ſi conſideret tam ſolemnes conſanguineorum Principum congreſſus, complexuſque Regum, tam varias aulicorum cærimonias, & tam celebrem vbique feſtiuamque mortalium frequentiam. Non hîc enumero tot inſignium Procerum lumina, tot Heroas atque Heroinas Germaniæ, tot Nobiles, Barones atque Duces Belgicæ, admiratores tuæ virtutis, qui conſpectum tuum quaſi cæleſte aliquod beneficium deſiderarunt videre, & velut templum aut aram venerati, appoſitis donis maieſtatem demereri voluerunt, cùm ad SERENISSIMAM HISPANIARVM INFANTEM ISABELLAM amitam tuam ſalutandi cauſsâ ires; properareſque videre celebrem illam obſidionem Bredæ, & famoſum Catholicæ militiæ Ducem, AMBROSIVM SPINOLAM. Nec volo commemorare, quomodo Bauariam Tirolimque tranſieris, ab

affinibus Principibus munificentissimè passim honoratus: cùm nulla gens fuerit, in toto itinere illo, quà lata ac longa Germania est, quæ te non honoribus plus quàm regiis dignum iudicarit, dum omnes quiddam in te regiâ maiestate præstantius ominarentur atque præsagirent. Similiter quoque & Italiæ peregrinationem omitto; vbi ad singulas regiones, singulas vrbes, singulos vicos, publica gaudia instaurabantur. Sed præcipuè in Vrbe illâ æternâ, quæ quondam Imperij sedes fuit, nunc verò domicilium est Religionis: cùm te Apostolorum limina salutantem Pontifex Max. VRBANVS VIII. ineffabili gaudio conspiceret, summo cum amore exciperet, incredibili affectu complecteretur, regali munificentiâ tractaret, regalibus muneribus ornatum dimitteret. Quid Neapolis? quid Florentia? quid illud miraculum orbis, Veneta Respublica? omnes profectò isti, vt naturâ egregij sunt, & in Principum venerationem proni, sic quidquid opum, quidquid nobilitatis, quidquid ingenij, quidquid splendoris obtinent, id omne certatim ad tuum aduentum condecorandum deprompserunt atque effuderunt. Et quacumque, REX AVGVSTISSIME, incesseras, faustis acclamationibus omnia personabant: omnes redundantem & foras erumpere gestientem lætitiam ore, oculis, manibus indicabant: omnium in te vno figebatur obtutus: omnes te, non vt vnum ex filiis Regis Poloniæ, sed vt firmissimam ac solidissimam Sarmatici nominis ac dignitatis columnam intuebantur: omnes fortem illam dexteram barbarorum domitricem, Christianitatis liberatricem, victoriæ confectricem exosculari cupiebant; & tanto genere, tantoque ac tam celebri patre dignum filium iudicabant. Multa equidem ille in Republicâ nostrâ, annis ferè quinque & quadraginta, tum belli tum pacis tempore præclara gessit, quibus sic omnium inuidiam superauit, vt, reiectis omnium obtrectatorum calumniis, quas vicini nostri scriptis publicatis euulgarunt, Orbis ipse terrarum de illo semper locuturus sit. Horum autem omnium quæ famam illius immortalem propagant, cùm tu VLADISLAE

REX

REX pars haud postrema fuisses; quid mirum, quòd in te, tot externi populi, totque diuersæ nationes eius virtutem adorauerint? Deuicit ille Sudermanum, Moscum, Valachum, Scytham; Transsiluanorumque ac Moldauorum multa millia interfecit: tu fortitudinem illius, iam in principiis tyrociniorum tuorum, consecutus es, cùm profligatis aliquoties Ruthenorum copiis, fertilissimam vltra Borysthenis fluenta Prouinciam ab hoste extorsisti; totâque Moscouiâ peragratâ, residuum ditionis Smolenscensis, superbo illi Tyranno eripuisti: idque alienissimo tempore, hieme sæuissimâ, cùm agros glacies, glaciem niues premerent; cumque ipsi anhelitus hominum, vt Arcturo proximis regionibus naturale est, circa sua ora concreti, rigore canescerent, excubantes per noctem interimerent, itinerantes suffocarent, atque præliantibus maximo impedimento essent. Plurimas item ille barbaras nationes, Mahometi vesaniâ occæcatas, victoriâ domuit, veniâ mitigauit, fœderibus deuinxit. Tu bello Chotimensi, & præterita illorum scelera punisti, & totius Tartariæ lubricam fidem timore vinxisti. Vnde nulla iam in viciniâ Sarmatiæ nostræ tam ferox natio est, quæ te non metuat ob fortitudinem, aut non diligat ob virtutem: nulla tam stupida & agrestis, quæ abs te omnia bona non speret, deque te sibi omnia summa non polliceatur: nulla tam dura & intractabilis, quæ tuo non cupiat subesse Imperio. Et si qui fortè sunt Poloniæ hostes, qui nondum virtutis tuæ fulmen exceperint; vt primùm te audient Regem nostrum salutatum esse, nominis tui terrore perculsi, & velut afflati, credo statim quiescent. Optimè enim sciunt, quòd sic te ad sceptra, & ciuium tuorum gubernationem, præparasti, vt cùm iam ad plenum bellicis artibus abundares, ciuilis quoque vsus experientiam tibi sufficientissimam sub Patre comparaueris; inque eam rem terras externas lustraueris, cognoueris mores gentium, regionum situs, opportunitates locorum; & diuersam cæli temperiem, vt patrium sidus, ferre consueueris, habens à naturâ corpus solidum, neruosum, masculum,

lum,

lum, ad omnes labores aptum: & in quo virtutum à tot maioribus tradita maiestas relucet. Sed præcipuè in vultu, diui Patris tui similitudo effulget, cuius Heroicus adspectus, regiaque effigies, velut à proauis hereditaria, ad te quoque transmissa videtur. Taceo hîc animum tuum cælestem, igneum, indefessum, futuri prouidum, intentum rebus, numquam otiosum, & omnibus omnino opibus, omnique fortunâ, atque ipso demum Regno maiorem. Taceo diuinam illam eloquentiam, sublimem, acutam, rebus plenam, & cùm in Italicâ, Germanicâ atque Latinâ linguâ facundam, tum in vulgari nostrâ Polonicâ prorsus stupendam: vt manifestè appareat, naturam quoque tibi, cùm nascereris, se propitiam exhibuisse; hancque formæ dignitatem, atque hanc vim dicendi indulsisse, quæ tibi primùm multum gratiæ ac venerationis apud omnes acquireret, deinde regium istud solium, quod possides, hac tuâ diuinâ formâ, quasi numinis vice decoraret. Solet enim summus ille rerum Opifex, iis qui vices suæ diuinitatis in terris gerunt, vt vultus ceteris mortalibus magis conspicuos dare, sic animos quoque longè vastiores inspirare, ne facilè tanto oneri succumbant; sed vtriusque fortunæ vices, cùm pectore firmo, tum graui quadam sermonis copiâ, & in seipsis, & in subditis suis temperare sciant. Hincque est, REX AVGVSTISSIME, quòd te Poloni tui omnes summoperè amamus, & tibi vltra omnium nostrûm fata victuro vouemus: quòd te nimirum omnibus Regiis virtutibus à Deo Opt. Max. ornatum videmus: & nec similitudinem modò in te Patris contemplamur, cuius lætissima facies, & amabilis vultus, in omnium Sarmatarum ore, oculis, animo sedet; sed diuinam illam, vti dixi, ingenij ac eloquentiæ vim, animumque immensum ac verè paternum admiramur. Et dum in solio sedentem conspicimus, SIGISMVNDVM excessisse non credimus: quia idem est, quem rursus in te colimus, aspectus; eadem in fronte grauitas, eadem in oculis & in ore tranquillitas, idem rebus in omnibus splendor, iidem aulæ ritus, eademque palatij sanctitas, ac summa cærimo-

cærimoniarum maiestas. Quapropter Patre tuo Principe saluberrimo, vt moriendi lege homines nascimur, ad sidera euocato, cùm passim SIGISMVNDVM votis, fletu, lacrymisque reposceremus, & in Comitiis atque Conuentibus nostris studiosè quæreremus, quisnam sit ille, qui debeat tantam molem subire, & nutantia Polonæ rei fata ab obitu illius suscipere; huncque Sarmatici fastigij apicem, non solùm fortitudine atque sapientiâ, sed decore etiam corporis & dignitatis potuerit æquare; neminem equidem alium reperire potuimus, præter te, VLADISLAE SIGISMVNDE REX AVGVSTISSIME, cui idem nomen quod & Patri, cui eadem quæ & nobis patria, iidem mores, eadem lingua, cui militarium ciuiliumque rerum supra alios vsus, cui diuina quædam supra omnes sapientia. Te igitur, Deo auctore, omnium totius Sarmatiæ nostræ Senatorum voto, singulorumque Nobilium de more ex Regni Prouinciis ad Varsouiam congregatorum suffragiis, per Illustrissimum ac Reuerendissimum Principem atque Regni Primatem, Archiepiscopum Gnesnensem, Ioannem Venzyk, POLONIÆ REGEM creauimus, custodemque populorum, ac vigilem pastorem, vocibus vnanimis constituimus, quem anteà tamquam ex Annalium memoriâ diuinum quemdam hominem vniuersi admirabamur. Tibi leges ac libertates nostras concredidimus: tibi fortunas & opes nostras consecrauimus: tibi denique nosmetipsos atque pignora nostra deuouimus. Quo sanè facto, maiorem iam honorem, nec amor largiri, nec metus exprimere, nec vsquam adulatio potest comminisci: & quo mediusfidius credimus SIGISMVNDVM etiam patrem tuum, qui nunc inter Cælites beatus residet, mirum in modum lætari, quòd tibi quasi hereditario iure Regia dignitas à ciuibus collata sit, quam ille, multis ambigentibus, electione consecutus fuerat, liberis, prout & tu, omnium votis, ob virtutem expetitus. Videt enim Rex sanctus ab alto cæli loco, te verissimum sui exemplar & simulacrum, non tantùm paternæ, sed propriæ etiam virtutis radiis illustrem, inter Christianos Reges

Reges nitescere: gaudetque sobolem suam in pari dignitatis gradu, in pari ciuium amore esse. Nec absque caussâ profectò: nusquam enim tu, VLADISLAE REX, malis artibus, malòve dolo Regium titulum quæsiuisti; nusquam liberrimæ genti nostræ, aut precariò, aut fraude in aulis assuetâ imperare voluisti: sed Principis appellatione contentus, tituloque hereditarij Regni, exspectare maluisti, vt iidem te ciues, qui & Patrem tuum, eodemque libertatis suæ more declararent Regem; quamuis communi existimatione atque opinione mortalium, fasces Sarmatiæ, adhuc viuente Patre, tibi summittebantur. O modestiam admirabilem! ô animum verè Regium, verè excelsum! non appetere populorum moderamen, nisi priùs sui affectus in adulationem moderatione declaratâ; non ambire sceptra & coronas, nisi virtute & meritis; non capere diadema, nisi æstimatione & iudicio oblatum! Meritò igitur gratulantur tibi omnes, quicumque Rempublicam Polonam saluam cupiunt. Meritò diem illum publici boni auctorem, quo te Imperio dedicasti, albo calculo notandum existimant: & post tanta afflictæ patriæ naufragia, postque tam innumeras Interregni fluctuationes, ac rerum omnium discrimina, portum securum prospiciunt, & meliorem spem animo augurantur. Facilè enim perspiciunt quid de eo sperare debeant, qui ita semper vixerit, vt omnia consilia atque facta ad solam honestatem referret: atque ita ab ineunte ætate imbutus sit & institutus, vt se non sibi, sed patriæ natum; nec vllâ in potestate auaritiæ prædam, aut libidinum fructus, sed instrumenta adiumentaque moris maiorum, disciplinæ ac æquitatis tuendæ & conseruandæ, quærenda esse arbitretur. Quod igitur precati sumus à Deo parente vitæ, salutisque omnium auctore, vt aliquando tandem in locum Diui patris tui SIGISMVNDI suffectus, non tam alter, quàm pænè idem, in isto regiæ dignitatis fastigio locareris, id nunc iam eiusdem Dei singulari beneficio tibi tributum videmus: teque, OPTIME PRINCEPS, tot luminibus clarum, tot animi dotibus illustrem, tot rebus feliciter

liciter

liciter gestis conspicuum, Cælitum comitiis, Optimatum suffragio; populi denique vnanimis mirabili desiderio & consensione Regem designatum, coronatum, & faustis vocibus conclamatum lætamur. Te, inquam, qui veterem illam Sarmatiæ bellorum armorumque gloriam renouare voles; qui magni huius gubernaculi pondus, tantis in fluctibus Europæ, sustinere poteris; qui Polonici nominis ac seminis famam propagare omni virtute, omni occasione scies; & qui solus tandem perficies, vt omnia tuâ felicitate, tuo consilio, prudentiâ atque auctoritate, inter Christianæ Reipub. Principes pacata sint, almæque pacis ac tranquillitatis plena. Vtinam igitur, REX AVGVSTISSIME, introferre posses oculos in pectora nostrûm omnium, ac penitus introspicere in intimos animorum recessus! vtinam vno aspectu lustrares vniuersam Sarmatiam nostram! cerneres profectò, quantam ob id non Proceribus modò ipsis, aut Equestris ordinis viris, sed singulis ferè qui sunt in Poloniâ hominibus, splendor iste tuus nouæ dignitatis, ac coronarum paternarum fulgor, lætitiæ attulerit voluptatem: quomodoque hanc tuam felicitatem, diuersa gaudentium studia, lætis vocibus excipiant, ominibus optimis prosequantur, & faustis gratulationibus consecrent, facillimè animaduerteres. Siquidem præter subditos tuos, qui te omni amore ac veneratione prosequuntur, ceteræ quoque gentes nationesque vicinæ, ac Principes Christiani vniuersi affines & consanguinei tui, vt primùm te ad Regium culmen euectum esse intellexerunt, conceperunt animis lætitiam singularem, quam deinceps per Oratores suos decentissimè declararunt, aut per litteras significarunt: diemque illum tuæ sublimationis candidissimum, quo per Regni Marschalcos, more antiquo, Prouinciis omnibus Rex declaratus es, maximè verò quo Cracouiæ inauguratus es, optatissimum sibi illuxisse persuaserunt, quòd de rebus Christianis optimè sit sperandum; his præsertim miseris temporibus, quibus omnia concussa armis, & bello labefactata sunt, vltra ruinas altioris æui. Quare te, VLADIS-

D LAE

LAE REX AVGVSTISSIME, iure felicem subditi tui appellamus, & sublimem hanc tuam dignitatem iisdem propè verbis tibi gratulamur, quibus olim Romanus populus Probo Imperatori lecto succlamauit: *Probe Auguste Dij te seruent: olim dignus & fortis & iustus: bonus ductor, bonus Imperator: exemplum militiæ, exemplum Imperij, Dij te seruent: Assertor Reipublicæ, felix imperes: Magister militiæ, felix imperes: Te cum tuis Dij custodiant.* Sic cùm te videamus in throno paterno, REX AVGVSTISSIME, feliciter residentem, & parte ex vnâ subditis bonas spes, libertatem, diuitias, & possessiones diuidentem; parteque ex alterâ in hostile solum terrorem bellicum, trepidationes, fugas, formidines inferentem, quasi quoddam salutare sidus humano generi exortum, sincero affectu consalutamus, & cum lætitiâ ineffabili ac ominibus optimis, pro tuâ salute vota suscipimus: *Deus te conseruet* VLADISLAE SIGISMVNDE, *qui & bonus Imperator es & optimus Princeps: exemplum modestiæ, exemplum probitatis, exemplum bonorum Regum. Prosperum faciat* DOMINVS *Imperium tuum, & omnibus consilijs factisq; tuis benignè adspiret; vt quemadmodum cœpisti concussam Rempublicam nostram tuâ virtute ornare, tuâ fortitudine protegere, sic eam vsque ad summum beatam florentemq; efficias, quæ nunc vndique lacera in sinum tuum confugit. Tribuant tibi vel de nostris annis Superi longos dies, & ætatem quam mereris; seruentq; animum quem dederunt propitij, vt tam constans semper maneas, quàm semper optimus fuisti. Faueant successibus tuis vsque in finem, & omnem inuidiam fortunæ procul arceant, quo & nobis sub tuo Imperio securam vitam liceat agere, & tibi superiores* VLADISLAOS *omnes, imò Reges Sarmatiæ omnes, splendore nominis & famâ superare. Tu enim gloria nostra es,* VLADISLAE SIGISMVNDE, *tu splendor Aquilonis, tu pacis auctor, tu publicæ felicitatis parens: Tu libertatis Lechiticæ assertor, tu Religionis Catholicæ defensor, tu legum nostrarum conseruator, tu scelerum vltor, tu iustitiæ cultor, tu veteris Sarmaticæ disciplinæ restitutor. Deus te seruet cum tuis, Deus te custodiat, & dirigat Im-*

rium tuum; vt omnia quæ facis, quæq; facies, prosperè cedant tibi, Reipublicæ Christianæ, nobis subditis tuis. Hoc tibi, VLADISLAE REX, Poloni tui enixissimè gratulamur, hoc quantum possumus effusissimo mentis affectu optamus, hoc vouemus Sarmatæ tui fideles. Vidimus enim, REX AVGVSTISSIME, abundeque experti sumus, vt omnia Patre tuo sublato defloruerant, emarcuerant, & in seditiones atque factiones abierant hoc Interregni tempore. Sordebat Nobilitas, mœrebat Aula, frigebat Militia, discordabant Proceres, obmutuerant Magistratus, corruerant Virtutes, iacebant studia litterarum, quæ numquam magis, quàm sub optimo Principe florere solent; vis & rapinæ dominabantur. Verùm postquam te nobis ipse mundi Parens, qui nutu suo temperat omnia, votis nostris exoratus dedit, vt conscenso paterno solio, in perturbatâ patriâ nostrâ, iacentia erigeres, exanimata recreares, dilapsa colligeres; statim respirarunt artes, reuiguit quæstus opificum, enituit Nobilitas, refloruit Aula, repullularunt honesta studia, reuixerunt ingenia, insolentium licentia coërcita est, pax & securitas agricolis restituta. Quin etiam totum Sarmaticum Imperium, quod hactenus desiderans & deflens Regem suum optimè meritum SIGISMVNDVM Tertium, ac beneficentissimum Patriæ Patrem exstinctum, in squalore luctuque iacebat, iam nunc attollere caput, & sese erigere ad spem meliorum temporum inusitato gratulationis genere profitetur. Quodque olim Septimius Seuerus Imp. vir bello & pace insignis gloriabatur moriens, accepisse se initio sui Imperij Rempublicam conturbatam, relinquere verò pacatam & tranquillissimam: hoc nos tibi, VLADISLAE REX, multò conuenientiùs adscribere possumus, qui Poloniam nostram ne dicam turbatam à ferocissimis hostibus Moscis atque Tartaris, sed ciuilibus ac intestinis odijs, simultatibus & seditionibus, palàm & publicè furentem accipiens, vix solio regali conscenso, ita pacatam reddidisti, vt nedum Seueri Imperatoris, sed Octauiani etiam temporibus minimè inuidere possit. Proinde hanc tuam felicitatem ad cælum ferentes,

tuam bonitatem prædicantes, Deo Sospitatori, Diuísque fauentibus gratias quantas possumus maximas agimus: tibi verò, REX AVGVSTISSIME, læta omnia, & diuturnum Regnum apprecamur; tibi cum gaudio ac tripudio, prisco ritu vouemus & acclamamus:

RESTAVRATORI SARMATARVM,
SALVS.
FVNDATORI PACIS,
VITA.
ORBIS CHRISTIANI AMORI,
FELICITAS.

Felicitas, inquam, REX VLADISLAE, atque omnis faustitas in administrando Regno, vt nimirum omnes per circuitum Poloniæ hostes, ac præcipuè Christiani nominis euersores Mahometanos, felicissimis armis vincas, Serenissimos Maiores tuos, rebus pro Ecclesiâ gloriosissimè gestis excellas, teque ipsum gloriâ superes. Vita verò longæua, & incolumitas perpetua, vt corruptum sæculum nostrum, virtutibus quibus ipse abundas, quàm diutissimè instruas, exemplis posteritati futuræ commendes, atque nunc Orbi vniuerso quàm ornatissimos moribus honestis Polonos tuos ostendas. Atque tuâ demum salute, nostrûm omnium vitam & salutem conserues; ipse noua merearis vota, noua audias elogia. Et hoc illud est, REX AVGVSTISSIME, quòd gaudia & gratulationes nostras exagitat, quod vrbanas acclamationes, publicamq; Prouinciarum lætitiam refrænare haud potest. Hoc est quòd spes, vota, præsidia omnia in te Poloni locauimus, quòd tibi pectora & animas Sarmatæ tui consecrauimus, quòd pro salute & dignitate tuæ Maiestatis, nullum discrimen vel capitis vel fortunarum subire recusamus. Hoc est quòd tum denique à Deo immortali summam votorum impetrasse existimabimus, si diu nobis VLADISLAVM REGEM incolumem, florentem, veràque gloriâ potentem seruauerit. Tu autem econtrà, REX AVGVSTISSIME, quantum à parte tuâ, imple vota ciuium tuorum; &

& in hoc maximo huius Imperij solio, veluti in totius Christianitatis statione positus, cura quàm diligentissimè, vt non Poloniæ modò tuæ, sed totius Europæ saluti atque incolumitati inuigiles, quam nunc totam bellis ac seditionibus ardere, imò Orbem terrarum propè vniuersum flagrare vides. Ac inprimis da operam, REX AVGVSTISSIME, vt possis discordes Christianorum Regum animos, ad fœdus percutiendum, adque amicitiam conciliandam, ac pacem ineundam, quantocyùs deducere; atque hæc arma, quæ nunc in Germaniâ grassantur, Catholicorum sanguine rubentia, in teterrimas barbarorum gentes conuertere. Res hæc, VLADISLAE REX, digna est Maioribus tuis, digna Christiano Principe, digna te ipso ac nomine tuo. Quia & tu ipse Numinis diuini cultum, pacemque Catholicorum populorum, humanis omnibus rebus præfers; & hoc istud VLADISLAI nomen, quod tibi credo non frustrà, sed diuinitus à parentibus est impositum, omnibus Septemtrionalibus formidabile, magna quædam de te nobis, & singularia, vti à principio diximus, pollicetur, Australibus etiam, Asiaticæque illi pecudi Mahometanæ metuenda. Vtere itaque, INVICTISSIME REX, FELICISSIMEQVE IMPERATOR noster, in quamcumque Catholicam expeditionem, firmissimo Sarmatarum tuorum exercitu. Vtere victricibus Poloniæ tuæ Aquilis, quæ quocumque se conferunt, certam victoriam spondent. Illustria antecessorum tuorum facinora, celebres Maiorum tuorum victorias, partaque toties ex hostibus Poloniæ per VLADISLAOS trophæa, non solùm Sarmatia, sed vniuersus Orbis, & prædicat & admiratur. Peculiare enim illis & hereditarium fuit, veluti Catholicis Principibus, acerrimos sese & assiduos Christianæ fidei defensores, & indefessos patriæ propugnatores præstare. Tu, vt te tanto nomine dignum, tantorumque Heroum verum successorem monstres, imitare felix eorum virtutes: vtque adolescentulus adhuc cœpisti terrorem paternum, quo semper barbaria omnis intremuit, ad nomen tuum deriuare; sic nunc, æui iam maturus, & Rex, prosperus vbique

& gloriosus perge; atque omnes opes, omnesque cogitationes tuas, dirige ad memoriam posterorum æternam: vt admonita de VLADISLAI regnantis felicitate posteritas, nostra sæcula nobis inuideat, quemadmodum nos Maioribus nunc nostris inuidemus auream illam ætatem, quâ sub Principibus VLADISLAIS floruerunt. Nam, vt hîc alios Reges Poloniæ antecessores tuos gloriosissimos omittam, VLADISLAVS Primus, cognomento HERMANVS, non minùs iustitiâ & temperantiâ quàm fortitudine clarus, post expulsum fratrem suum, Boleslaum Audacem, sancti STANISLAI Præsulis Cracouiensis interfectorem, turbulentissimos Interregni fluctus, vt primùm ad Principatum vocatus fuit, felicissimè sedauit: Bohemos Russosque fœderum tunc non tenaces, non solùm acie frequentiùs deuicit, sed vrbibus quoque munitissimis, integrisque Prouincijs eis ademptis, mulctauit. Prussos similiter atque Pomeranos rebellionem sæpiùs tentantes, & cladibus grauissimis attriuit, & tributis ingentibus impositis, quietiores suis successoribus reliquit: non restituendos pristinæ libertati, nisi perseuerassent susceptæ semel Christianæ religioni constanter adhærere. Secundus VLADISLAVS, BOLESLAI CRIVOVSTI victoriosissimi Principis haud imbellis filius, quamuis ob ingentem vxoris suæ auaritiam, à fratribus germanis, quibus iniurius fuerat, Principatu pulsus in Germaniâ exularet: non degenerem se tamen Sarmatam in castris CONRADI Imperatoris, bello Turcico monstrauit, cùm ad Terræ Sanctæ liberationem in Syriam cum ipso abijsset; subque FRIDERICI ÆNOBARBI Imp. auspicijs deinceps, contra eosdem Barbaros, & contra rebelles Saxones militasset. Quamobrem ab vtroque Cæsare, & ob egregiam in rebus bellicis peritiam, & ob affinitatis atque cognationis iura, lautè cum suis habitus; etiam à fratribus à se alienatis Silesiæ Principatum impetrauerat. Sequitur deinde VLADISLAVS LASCONOGVS, post obitum CASIMIRI IVSTI, concordi applausu populi electus; homo planè animo regio, & cui nulla virtus abesset, quæ virum Principem deceret. Is seueritatem Imperij ita comitate temperabat, vt plura caritate quàm metu apud suos perficeret; & qui nihil prorsus absque Senatus consilio, nihil absque ciuium consensu in Republicâ ageret. Cumque LESCVM ALBVM, fratrem suum, victorijs de hostibus patriæ illustrem, à nonnullis factiosis ad Principatum Poloniæ promoueri cerneret, accersitum in coronâ Senatus ob egregiam fortitudinem seriò collaudauit, & ne suâ caussâ ciues inter se factionibus distraherentur, sponte suâ Principatu ei extemplò cessit, *Fraternum*, aiens, *amorem sibi potiorem esse Regno.* Contentus itaque Maioris Poloniæ Tetrarchiâ, quæ ipsi ante Principatum susceptum sorte inter fratres obuenerat, multa contra Bohemos, Saxones, Brandeburgenses, atque Pomeranos, pro fratre fortiter gessit, multaque trophæa ex hoste, multos triumphos reportauit: vel propriâ fortitudine felix, vel Principis fratris auspicijs victor. Ast me hîc diutiùs de rebus suis tacere, non patitur VLADISLAVS LOCTICVS: pusillus quidem ille corpore, & staturâ ferè cubitali, à quâ & cognomen promeruerat; sed animo ita excelso ac robusto, vt vel gigantes ipsos mille cubitis superaret. Hic ille enim est LOCTICVS, REX AVGVSTISSIME, à quo Regum Poloniæ auctoritas à contemptu vindicata, opes auctæ, potentia stabilita: à quo Bohemiæ Reges, Crucigeri Prussienses, Marchionesque illi peruicaces Brandeburgenses, ingentibus cladibus affecti: à quo ciues rebelles, factiosi Proceres, discordes Sarmatiæ Tetrarchæ in ordinem redacti: à quo in oppidis vectigalia instituta, in agris tributa aucta, Regia corona, quæ olim Gnesnæ in maiori Poloniâ asseruabatur, Cracouiam translata: à quo tot astus militares, tot belli stratagemata, tot militaria exercitia excogitata: à quo denique ipsa insolens Diua mortales miscere solita, fortiter deuicta & Imperium Sarmaticum in hodiernum ferè stabilitum. Bis etenim Principatu deiectus, & patriâ ipsâ pulsus, cùm in Hungariâ primò apud consanguineos, deinde in Italiâ peregrini specie aliquantulum exsulasset, omnes ad extremum hostes suos feliciter deuicit, tumultus Poloniæ sedauit,

uit, & toties denegatam capiti ſuo coronam triumphabundus impoſuit. Sub extremum denique ætatis, Maſouios atque Sileſios, coniunctis copijs bellum renouare, & tertiò adhuc eum Regno priuare volentes, aggreſſus, agros eorum cadaueribus ſtrauit, fluuios eorum ſanguine infecit: atque ſic in circuitum omnes populos domauit, vt & vicinis Regibus terrori, & ciuibus ſuis perpetuò venerationi eſſet. Iam verò VLADISLAI IAGELLONIS virtutem, quis ſe vmquam ſatis pro dignitate laudare poſſe confidat? qui cùm octo & quadraginta annos, iuxtà ſummis & infimis carus, regnaſſet, Lituaniamque ſuam vniuerſam ac Samogitiam ad Chriſtum conuertiſſet, totque Epiſcopatus per Regni Prouincias, tot Collegia Canonicorum, tot Monaſteria Religioſorum, Muſarumque domicilium Academiam Cracouienſem erexiſſet; bello verò, Sileſios, Crucigeros, Tartaros, Hungaros, Moſcouitas, Saxoneſque contumaces paſſim deuiciſſet; propagatis quoque Regni pomœrijs per circuitum, Lituaniam quidem Pleſcouienſi, Nouogrodenſi, Smolenſcenſi, atque Starodubenſi ditione, Poloniam autem Scepuſienſi in Hungariâ Comitatu auxiſſet; Pomeraniæ inſuper Duces, atque Valachiæ Principes, in hæc vſque tempora Sarmatici Imperij vaſallos effecit. Ex quo ciuibus ſuis carus, hoſtibus metuendus, vtriſque verò amandus ac venerandus, cùm & vitæ abundè & gloriæ ſatur eſſet, moriens filium itidem nomine VLADISLAVM, non Regni magis quàm virtutum ſuarum heredem reliquit. Qui, gnauiter & per omnia patrem æmulatus, qualem ſe Principem præſtiterit; quàm feliciter patriæ ſuæ hoſtes, Liuonios, Sileſios, Bohemos, Scythas atque Moſcos profligauerit; quàm patiens laborum militarium, quamque prudens fuerit; teſtis eſt Hungaria, pomum aureum olim inter Chriſtiana Regna appellata, quæ eum ob egregiam indolem Principem ſibi fecerat: teſtis Orbis Chriſtianus vniuerſus, pro cuius ille integritate & gloriâ, cum Turcarum Tyranno Amurate II. acerrimo ex barbaris omnibus pietatis noſtræ hoſte, magnum & diuturnum bellum geſſit; ſummaque & fortitudine

ne & felicitate illud adminiſtrauit: atque demum vitam ipſam, in acie apud Varnam, poſuit; & quid, niſi Religioni donauit? Septimus tu eius nominis, REX AVGVSTISSIME, Europææ Sarmatiæ Monarcha numeraris, qui tot rebus geſtis, tot victoriis probatus, velut lucidiſſimum quoddam ſidus in Arctoo orbe noſtro illuxiſti; & paternum conſcendens ſolium, paternaſque ſumens coronas, miram de te opinionem apud vniuerſos Principes & populos, tam barbaros quàm Chriſtianos, concitaſti: qui tuam fidem, ingenium, modeſtiam, animi præſtantiam & fortitudinem admirati, legatos ad te ſuos miſerunt, alij amicitiam prouocantes, alij pacem exorantes, alij de tuâ felicitate congratulantes; omnes verò tantæ virtuti, eximij pretij dona offerentes. Hi igitur, poſtquam vidiſſent in tuo vultu omnes heroicas qualitates, omniaque regiarum virtutum ſigna (ex quibus facilè quiſque animaduertit, adeſſe tibi in omnibus ſummam illam maieſtatem, quâ ſcilicet poſſis te, & hoſtibus tuis formidabilem, & amicis boniſque omnibus amabilem præſtare) non fortunam in te tuam, ſed te in fortunâ tuâ ſeriò venerati ſunt: & quid timendum ſibi, aut ſperandum abs te ſit, illicò Dominis ſuis ſignificarunt. Sparſeruntque litteris, & non occultis rumoribus per gentes & nationes vniuerſas, non iam Boryſthenis gurgitibus, ſed nominis tui terrore nos à Moſcis munitos eſſe; qui factâ ad bellum gerendum ingenti præparatione, pacis ſe potiùs velle cultores eſſe renuntiarunt. Nec à Scythis nos muro, vt Sinas, ſed famâ tuæ virtutis diuiſos eſſe obſeruarunt; quorum numeroſiſſimas phalanges, audacia tuorum militum, durante Interregno, procul arcuit à finibus Podoliæ. Nec Dacos, Muſulmanóſve audere rapidum Tyram tranſire, aut vliginoſum Prutum ſuperare, animaduerterunt: quamlibet iſte aut areſcat æſtu, aut reſidat gelu; ille verò vel nimiâ latitudine ſit vadoſus in Beſſarabiâ, vel viciniâ fontis, in Pocuciâ exiguus. Atque ita, vno verbo, vniuerſum Sarmatiæ Imperium, in eo ſtatu nunc, Dei benignitate eſſe viderunt, vt non modò nouas iniurias prohibere, ſed veteres etiam vlciſci poſſit. Quo tamen

men eo magis, haud vanam illorum opinionem de te, ciuiumque tuorum vota & desideria, REX AVGVSTISSIME, confirmes, & Poloniam tuam, sub SIGISMVNDIS & VLADISLAIS florentem, efficias tuo regimine quàm florentissimam; tolle obsecro effeminatas artes, & indecora sæculo studia, quæ nunc tantopere inualuerunt; comessationes, ebrietates, causidicinam, fœnerationes, homicidia, litigia, luxum, pellicatum: Sarmatasque tuos non ad mollis cytharæ saltus effingendos, nec ad fumantes Arabum odores mercandos, sed ad cruenti Martis classicum efformatos, tuo exemplo, ad decus, honestatem, & gloriam incita. Qui cùm è Scythis prognati sint, imbelles non debent esse; licet inhumanitatem illam feritatemque Scythicam, consuetudine politiorum Europæ hominum deposuerint; & cùm Martem semper, tum Mineruam nunc ante paucos annos colere cœperint. Cuius beneficio eò iam humanitatis peruenerunt, vt apud finitimos Scythas nihil iam vehementer probent, præter Toxarim, & Anacharsim illum veterem. Quemadmodum itaque primis illis ab obitu Patris tui Comitiis, condolentibus de suâ orbitate Terrarum Legatis, nunc singulos, nunc vniuersos adhortatus es, resumere libertatem, capessere Reipub. curas, inuigilare publicis vtilitatibus & insurgere; sic admotus Imperij habenis, ipse primus collapsis rebus nostris adiutrices manus adhibe, & omnia extincta refoue: sed præcipuè militarem artem; sine quâ nullum Regnum diu tranquillum, & à metu hostili securum esse potest. Siquidem omnes vrbanæ res, omnia togatorum præclara studia, & forensis laus industriaque, latent in tutelâ ac præsidio bellicæ fortitudinis. Omnesque ferè Principes, quicumque rectè & ad populi salutem res humanas administrare volunt, ij etiam in summâ quiete arma parant, ne aut vicinis contemptui sint, aut prædæ ferocibus populis. Qui itaque sæpenumerò antecessorum tuorum cunctationem indoluisti, incusasti tarditatem, ignauiam & torporem es detestatus; depulso quantocyùs prioris sæculi malo, inertiâ & contumaciâ, & dedignatione parendi, corruptam castrorum disciplinam, REX VLADISLAE, corrige, neglectas exercitationes armorum restitue, cohortes ad vsum præpara, Regni limites propugnaculis claude, armamentaria instrue, & promptuaria locis opportunis erige. Præcipuè autem Podoliæ oram tibi curandam quàm diligentissimè suscipe; vt tandem, tuo sub Imperio, pacificos dies, prouentus vberes, diuitem bonis omnibus tranquillitatem, totamque secundarum rerum ferre discat prosperitatem. Nam quæ regio, quæso, ex omnibus Poloniæ Prouinciis, pinguibus magis vestita pascuis, discreta culturis, repleta armentis, cooperta gregibus, aquis irrigua est? quæ maiorem copiam frumenti, mellis, ceræ, piscium, auium aut ferarum producit? quæ plures generosioresque bello equos aut viros suppeditat? quæ sic abundè ac perpetuò Reipublicæ militum legiones alit? Tantis siquidem illa segetibus pacatiore æuo induebatur, vt cum feracissimis terris quasi numquam cessura certaret. Tantis frugibus, pascuis, fructibusque tum temporis abundabat, cùm tu eam, VLADISLAE REX, ab innumerabilibus ferè barbarorum exercitibus defenderes, vt etiam alterum tantum, quantum tu, ac Turcarum Tyrannus, hominum iumentorumque in castris habebatis, ex suis agris prouidere commeatu auderet. Hanc igitur, REX AVGVSTISSIME, vel maximè tuere. Huius medere vulneribus: perfidasque illas atque famelicas Tartariæ gentes, quæ eam assiduis incursionibus infestant, radicitus exstirpa, bello in Tauricam illato, & munitionibus ad Borysthenis ripam, atque Nestri Euxinique littora, excitatis. Nec audi, quæso, socordes illos dissuasores, qui ne pedem domo suâ efferant, aut suetas voluptates intermittant, vel non offendendos Scythas, tamquam inuincibiles & Otthomanicâ potentiâ tutos, vel relinquendos dicunt, veluti cotem roboris Polonici, ad pubem bello exercendam, ne otij rubigine & nimiâ pace obtorpeat, aut ciuilibus interim dissidiis collidatur, sed magis cum Regni tranquillitate simul famam suam augeat & prolatet. Non crede illis, REX AVGVSTISSIME, non crede, nec admitte in animum tuum subli-

ſublimem & excelſum, bellas iſtas imbellium hominum rationes; Regium ſemper ſciens eſſe, per triumphos & lauros ad immortalitatem eluctari. Nam & Tartaros poſſe vinci, priuati etiam noſtratium complures docuerunt, non modò Reges ipſi anteceſſores tui glorioſiſſimi: ſubque Diuo patre tuo nuperrimis annis non pauci Roxolaniæ Dynaſtæ vixêre, quorum egregiam fortitudinem, tu quoque ipſe, REX AVGVSTISSIME, laudabas, barbari aſſiduè formidabant. Potentia quoque Otthomanicæ domus, quâ nos tantopere terrent, nuſquam, credo, maior aut fuit aliquando, aut fieri poterit, quàm tum temporis erat, cùm tu, REX INVICTISSIME, bello Valachico Oſmanum Tyrannum contudiſſes; & ita feliciter à patriæ noſtræ finibus repuliſſes, vt maiorem ignominiam, à condito Turcarum Imperio, nuſquam barbara illa gens retulerit. Et quam videlicet iactabundi illi milites Ianitzari ſufferre non valentes, vt primùm Conſtantinopolim è Valachiâ redierunt, Imperatorem illum ſuum inuictum (quem aliàs Numinis inſtar colere aſſueti ſunt) digno ignauiæ & ſæuitiæ exitu repentè necauerunt. Quemadmodum ergo illâ tempeſtate, tuâ virtute, REX AVGVSTISSME, tuaque felicitate fracti & conculcati fuerunt; ſic etiamnum ſperamus, tuam Maieſtatem Numine cæleſti benignè adiuuante & protegente, facilè à fortibus tuis Sarmatis diſſipabuntur & deuincentur. Nec iuuentus ſanè, tam piis bellis occupata, habebit occaſionem indecoras ſuæ origini & profeſſioni voluptates ſectandi, aut tumultuandi in viſceribus patriæ: ſed te Regem ſuum & Imperatorem Inuictiſſimum, tuamque fortunam & felicitatem, ſequetur alacriter quocumque duxeris. Iam autem ipſe diuinâ tuâ mente perſpicere potes, ita demum hoſtes funditus poſſe ſubuerti, ſi in propriis ſedibus vincerentur, nec prædam modò quam in Ruſſiâ cepiſſent amitterent, ſed ipſi coniuges & liberos, & parentes ſuos, & cariſſima omnia capta mœrerent. Quod itaque ſanguinis noſtri effundendum eſt, REX AVGVSTISSIME, non domi, vbi Religioni noſtræ nihil acquiritur, nec in Ruſſiæ Prouinciis,

uinciis, vbi ipſimet noſtra conſumimus; ſed in hoſtico potiùs, & vltra Regni tui limites, vbi impiæ illæ Mahometanæ gentes, non ſine magno noſtro dedecore, dominantur, pro communi libertate, pro communi ſalute, pro aris & focis, pro Diis penatibus, pro noſtrâ Religione, pro Chriſtiani nominis amplitudine effundatur: eruaturque penitus execrabile illud genus Muſulmanorum, quod nihil niſi nefandum, niſi inhumanum, niſi crudeliſſimum cogitat; nihilque magis auet, quàm Polonico ſanguine ardentiſſimam quam habet necis ſitim explere. Nam cùm omnes barbari populi præſtigiis & obſeruationibus vanis ſunt dediti, tum maximè Turcæ præſagiis futurorum, Græcis atque Ægyptiis permixti, apud quos olim diſciplinæ Mathematicæ floruerunt. Ex aſtris itaque aut ſignis rerum diuerſis, genti ſuæ ruinam ex Sarmatiâ imminere credunt; & cùm omnes Septemtrionales maximo odio proſequuntur, tum Polonos ſpecialiter execrantur, & ſibi & Tartaris fatales aliquando vicinos. Etſi igitur omnes anteceſſores tui, REX AVGVSTISSIME, inter Septemtrionalium Regum ſplendorem, tum bello tum pace, tantopere claruerint, vt magno ſemper in anguſtis Poloniæ rebus animo fuerint, in ſecundis verò modeſto ac temperato; nihilque vmquam prætermiſerint, quod ad decus Lechitarum, nihil quod ad gloriam Sarmatiæ pertineret; eorumque hac de cauſsâ omnium quidem ſæculorum poſteritas immemor non ſit futura: nuſquam tamen illi confines barbaris Ruſſiæ Prouincias per ſe & oculis ſuis luſtrarunt; nuſquam de tuendâ Valachiâ ſeriò cogitarunt: & nec in animum quidem ſuum vſquam induxerunt, velle Cherſoneſo pellere Scythas, ſternere claſſibus Euxinum, arcibus exſtructis munire Mæotidis littora; quaque vaſtus ſeſe in mare Boryſthenes exonerat, aut Pontum vorticoſus Neſter ſubit, cognomines à ſe vrbes erigere. Tibi hoc facinus præclarum, VLADISLAE REX, reſeruatum eſt, tibi hæc cura relicta, vt qui puerulus adhuc immortalitatis amore ſemper flagraſti, & Principum aliorum defectus, adultior ætate, in Republicâ notaſti,

iam nunc Dei benignitate Rex factus, & omnibus necessariis ad consequendam gloriam instructus, vel hinc tibi æternum nomen pares, quod nulla vmquam deleat vetustas, nulla sit obliuio obscuratura. Habes autem Regnum amplum, populosum, ditissimum: habes militem strenuum, promptum, robustum, Cosacosque terrâ iuxtà ac mari bonos: habes ædificandarum vrbium, nauium, munitionumque materiæ copiam, & commeatus abundantiam, vel alteri Regno alendo sufficientem. Erige igitur, vel Alexandri Macedonis vel Constantini Imperatoris, magnorum Principum exemplo, ad oram Ponti Euxini à tuo nomine VLADISLAVIAM, emporium mercibus totius Orientis, & aliquando ipsius Byzantij æmulam vrbem. Inque illâ viciniâ barbariæ, nostræ iuuentuti militarem palæstram, terrâ & mari aperi, ne vmquam metus ponat Turca: sed vt semel à te pacem ad Chotimiam petiit, cùm adhuc pro Patre tuo bella gereres; sic semper horreat, semper supplices manus tendat, cùm iam Patri feliciter successeris. Nec maiores spes, quàm metus, Scytharum quoque vagabundæ Ordæ habeant; timeantque Polonum quantum anteà timebantur, cùm Volgâ superatâ Præcopitis atque Crimensibus Tartaris sese coniungerent. Satis vidimus iam, REX AVGVSTISSIME, igne incensas vrbes nostras, sanguine auctos fluuios, cædibus atque vastitate exhaustas Russiæ Prouincias: tempus est vt etiam ea hostibus nostris rependas, vt vlciscaris iniurias, vt deperdita recuperes, & multò ampliorem, quàm accepisti, tuis successoribus Poloniam relinquas. Quæ te nunc lacrymabunda alloquitur, apud te misera conqueritur, ad tuos pedes cum gemitu & dolore prouoluitur; *Perdidi*, inquiens, REX AVGVSTISSIME, *infortunata Liuoniam, specto excidium Prussiæ ciuitatum, lugeo funus Curlandiæ Senogalliæq; Ducatus: Moscus Lituaniam & Seueriensem ditionem inuadit, Russiæ incolas ferox Getes in æternam seruitutem abducit. Quid faciam vndique afflicta, & à filiis meis neglecta? quò me vertam dissidentibus ob Religionem inter se meis ciuibus? ad quem confugiam pio Principe* SIGIS-

MVNDO *orbata? ab ipsismet Lechitis vastata, & à Cosacis excubatoribus meis spoliata? Pudet miseretq; recordari, vt florebam sub Lechis, Leschis, Zemouitisq; illis, qui erroribus gentilium occæcati, nondum* CHRISTVM SERVATOREM *agnoscebant: quomodo sub Præmislis deinde, Boleslais, Miecislaisque, qui litterarum bonum non intelligebant: quomodo sub Miesconibus, Casimiris atque Ludouicis, qui in administrando Regno præceptis Philosophicis carebant. Quid verò, cùm me pietate memorabilis* IAGELLO *teneret? cùm non degeneres eius filij ab hostibus vndique oppugnatam me strenuè defenderent? cùm mœnibus ac palatiis* SIGISMVNDVS *Senior ornaret? cùm legibus moribusq; politioribus* AVGVSTVS *imbueret, finibus* STEPHANVS BATTOREVS *augeret, victoriis ac Religione* DIVVS PATER TVVS *cohonestaret? Nunc discordiis Nobilium lacerata, factionibus Optimatum distracta, metu hostili exanimata, ad quem confugiam? sub cuius protectione conquiescam? quem patronum & tutorem habebo? Non alium certè,* VLADISLAE SIGISMVNDE, REX AVGVSTISSIME, *nisi te, quem enutriui molliter, vt filium; quem educaui indulgenter, vt Principem; quem honoribus, titulis, atque victoriis ornaui magnificè, vt Regem & Defensorem meum. Ac propterea te olim alumnum, nunc verò patrem meum agnosco & veneror vt famula; anteà ciuem & incolam, nunc Patronum & Dominum colo vt serua; cuiusq; charitate mater fui, eius nunc obseruantiâ filia, obsequio ancilla ero, modò sub tutelâ tuâ, tam à domesticis seditionibus, quàm à barbarorum incursionibus secura conquiescere valeam. Efficies autem hoc facilè,* REX AVGVSTISSIME, *si modò desideratum tot sæculis ordinem in Rempublicam introducere volueris. Velle te autem minimè dubito, sicut & posse: nam te paterna pietas vbique sequitur, te adnata felicitas assiduè comitatur; te regia virtus passim, te fortitudo tua prouehit; vtq; pro me depugnes, pro me certes, pro me semper sollicitus maneas, te sublimis tuus animus monet, ac perpetuò suadet, vt eâ constantiâ & fortitudine contra Asiæ pecudem agas, quâ laude contra Moscum res bellicas auspicatus es. Ex his enim, quæ regio titulo adhuc priuus gessisti,*

gesſiſti, facillimè te maiora pro me acturum confido; & poſt tot calamitates ac miſerias, indies lætiora atque meliora animo auguror: ſcio enim probè, quòd te nihil permoueant tubarum fractæ voces, nihil horrendus militum clamor, tum permiſſa caſibus vulnera, illiſi cominus gladij, cadentium graues gemitus, arma latè ſtrepentia, & in vnum quemdam ſonitum diuerſi fragoris acta confuſio: quòd hæc omnia aut virtus tua negligit, aut adſuetus tot bellis generoſus animus non exhorreſcit. Atque ſic ſummotis hoſtibus circumquaque, ſecura, felix & omni beatitate affluens, nihil magis in votis habebo, quàm vt te Principe & Rege meo perpetuò liceat frui. Et reuerà, VLADISLAE REX INVICTISSIME, florere aliter Polonia tua haud poterit, niſi te Regem, vt cœpiſti, perpetuò talem habuerit, hoc eſt, iuſtum, fortem, pium, vigilem, futurorum prouidum, proque ſalute populorum tuæ curæ commiſſorum aſſiduè excubantem. Non enim aliam ob cauſſam vobis Principibus poteſtas regnandi datur, quàm vt pro omnium otio die noctuque vigiletis; & cùm Domini ac Reges vocemini, libertati ciuium ſeruiatis; attendatiſque quàm diligentiſſimè, ne quid de Imperio vobis commiſſo, veſtrâ ignauiâ deperdatur. Quidquid autem nunc atterit Turca, quidquid rapit Scytha, quidquid depopulatur Moſcus, quidquid aufert Sudermanus, id olim deſiderabit VLADISLAVS. Vt igitur omnia in tuto conſerues, & vt in poſterum quoque hoſtibus tuis, REX VLADISLAE, formidabilis, prout cœpiſti, exſiſtas; æſtate Scythicum puluerem, hieme pruinam Moſcouiæ perferre alacriter debes: nihilque prorſus ſomno, nihil epulis, nihil otio tribuere; ſed ſemper publicis commodis vacare, ſemper exemplo ſubditis prælucere. Manifeſtum autem eſt, Principum diſciplinam, capere etiam vulgus; Nobilitatemque ſemper idem ſequi, quod Regibus placet: qui, ſi bellicis rebus dediti ſunt, omnes ferè ciues armis delectantur, omnes militaribus artibus incumbunt: ſin verò in alia ſtudia verſi, curam Reipublicæ negligunt, ſubditos etiam vanitatibus atque voluptatibus deditos videbunt; cumque iis talibus, ipſi quoque facillimè

mè ruinam experientur. Iam autem vides, VLADISLAE REX, vt iuuentus noſtra Sarmatica te Rege accenſa eſt, erexitque animos ad æmulandum, quod à te laudari videbat? Perge igitur felix, armiſque reſtitue veterem gloriam Polonorum tuorum: & ad beatitatem ſubiectorum tibi populorum hoc quoque vnicum adde, vt omnes Prouincias tuas frequenter illuſtres, & profundiſſimâ licet pace florentes, aduentu Maieſtatis tuæ reddas feliciores. Mos hic antiquus Regum Poloniæ erat; & proptereà in qualibet Prouinciâ, ad regimen bonum & ſplendorem aulæ Regiæ officiales ac miniſtri inſtituti fuère, qui etiamnum vanâ priſcæ politiæ oſtentatione titulos gerunt. Tu reſtitue, REX AVGVSTISSIME, & bono ordine Sarmatiam tuam illuſtra, ne Maiorum noſtrorum optima inſtituta, fabularum anilium loco poſteritati narrentur. Quòd enim Rex es, eniti debes, vt populos tuæ curæ commiſſos ſapienter & pacificè regas. Quòd Rex Sarmatiæ es, prouidere teneris, ne quiſpiam tuis Polonis inſultet, quos hactenus ferè nemo vmquam impunè laceſſiuit. Quòd demum VLADISLAVS es, ſuſtines magnam exſpectationem imitandarum virtutum prædeceſſorum tuorum, quorum nunc ſolium obtines, & quorum nomen feliciter geris. Splendent enim adhuc, & prudentum in oculis obuerſantur, VLADISLAI HERMANI diligens componendarum inter ciues diſcordiarum ſtudium, VLADISLAI SECVNDI mirabilis aduerſæ fortunæ tolerantia; VLADISLAI LASCONOGI fraternus amor, iucundaque in omnibus erga ciues ſuos facilitas; VLADISLAI LOCTICI ſublimitas animi, & militarium rerum peritia; VLADISLAI IAGELLONIS propagandæ Religionis ſtudium, & egregia fortitudo; VLADISLAI eius filij, mortis contemptus pro gloriâ Crucis, ac immenſa in viros fortes liberalitas atque munificentia. Tu da operam, REX AVGVSTISSIME, vt illis non nomine tantùm, ſed re ipsâ etiam ſimillimus fias, hoc eſt, lenis, placidus, comis, affabilis, benignus, qualis ſemper exſtitiſti; itemque prudens, fortis, temperans, religioſus, qualis ſub Diuo patre tuo vixiſti. Nec te

 reddant

reddant ſuperbiorem munera belli quæ geres, aut throni Regalis ſublimitas quam habes: nec à manſuetudine amoueat iuſtitiæ ſeueritas, nec à comitate grauitas, nec maieſtas ab humanitate; aut denique à Regiâ clementiâ, noſtrorum hominum audax licentia: vt ſub optimo Principe educati liberi nepoteſque noſtri, & ſi qua omnibus ſæculis erit duratura progenies, VLADISLAI recordentur, VLADISLAVM ingeminent; omneſque VLADISLAVS in terris degat ætates. Poſt res autem bello atque armis præclarè geſtas, togæ ac pacis artes REX AVGVSTISSIME aggredere: ac in primis finitimos conciliare, eoſque tibi beneuolentiæ atque affinitatis vinculo copulare ſtude, vt tuo conatu, tuâ curâ, ſuccedat odio amor, bello pax, ſeditioni concordia; quique nunc diuiſi ac diſſentientes Chriſtiani, Turcis ludibrio & deſpectui ſumus, te duce atque auctore coniuncti ac conſpirantes, terrori eſſe omnibus barbaris poſſimus. Omnes enim Regum actiones, non ſuas opes priuatim, ſed publicè ciuium incolumitatem ſpectare debent: & quò illuſtriores eſſe apud poſteros exoptant, eò plurium præter ſubditos ſuos nationum & populorum Chriſtianæ Religionis profeſſione coniunctorum ſalutem procurare tenentur. Vt autem nullâ re magis ſummi Numinis bonitas ac maieſtas intelligitur, quàm beneficiorum frequentiâ atque aſſiduitate, quibus numquam deſinit humanum genus augere & locupletare: ſic eos profectò Principes proximè ad Diuinitatem accedere iudicamus, qui & liberalitate & beneficentiâ atque protectione ſuâ quàm plurimos mortales demerentur. Quantò itaque ſupra ceterorum hominum faſtigium Reges ſunt euecti, tantò magis imitari cæleſtia corpora debent, quæ nullis officiis noſtris conciliata, vim ſui caloris & luminis vitalem & beneficam rebus humanis infundunt. Quamobrem te quoque, REX AVGVSTISSIME, obnixè rogamus, vt ſupradictorum VLADISLAORVM exemplo, maximè verò IAGELLONVM, à quibus ſanguinem ducis, tuæ liberalitatis fontes, non adulatoribus, aut delatoribus bonorum, vt Græci Romaniqꝫ olim Tyranni facere

ſolebant; ſed bellorum ſociis, periculorum conſortibus, ſingularibuſque viris, & in togâ meritis, aperias: quò omnes homines ſciant, ſignum abs te erectum eſſe Probitati; & hoc vnum propoſitum ad honores & Sacerdotia curriculum, non iam fœnerari, non quæſtum facere, non per malas artes graſſari, ſed mereri. Habet enim humanus animus ſublime quiddam & generoſum à naturâ inſitum, vt nemini parêre velit, niſi vtiliter imperanti: neque quidquam eſt valentius ad continendam humanam ſocietatem, quàm beneficiorum viciſſitudo, meritorum præmium, condigna vniuſcuiuſque laborum merces. Quamuis igitur non ignoro, maximos honores vbique terrarum ad parum dignos penuriâ meliorum ſolere deferri: in tuo attamen Regno, multos raræ indolis iuuenes, & non plebeiæ prudentiæ viros, REX AVGVSTISSIME, reperies, qui ſub optimo Principe Patre tuo inſtituti, exornant Sarmaticum orbem, vt cælum ſtellæ, poſiti ab illo in dignitatibus Reipublicæ. Eruntque certè à tuo exemplo multò plures, quem animi rectitudine omnes antecellere experimur, & quem morum noſtrorum Cenſorem ac regulam nobis ſtatuimus, ob ſingularem tuam in omnibus actionibus æquitatem. Neque enim alia prorſus cenſura tam efficax ad publicos mores emendandos excogitari poteſt, quàm Principis vndiquaque inculpata vita. Ad hanc protinus omnium conuertuntur oculi, ad hanc veluti ſignum diriguntur animi; ad hanc, tamquam ſcopum, vitæ rationes referuntur. Quapropter id quod ſuperioribus annis neglectum aut omiſſum, tu tuâ virtute, REX AVGVSTISSIME, ſupple, tuâ bonitate perfice, tuo exemplo corrige. Tanta namque eſt exſpectatio Imperij tui, vt nihil tam perturbatum ac permutatum in Repub. homines eſſe credant, quod nunc componi, & in antiquum ſtatum reſtitui nequeat. *Subditos verò bonos, vita Principum facit: ſemperq; iſtorum ab exemplo, populorum virtutes fluunt*, vt pulchrè Magnus Lipſius inquit: *nullaq; res efficacior eſt ad obtinendum quod velis à generoſis & magnanimis pectoribus, quàm flagrans amor & conſtans*

stans assiduitas rectè faciendi. Quò autem citiùs feliciusque in totum emendatio populorum proficiat; peculiariter velis, REX AVGVSTISSIME, Sacrorum apicibus prouidere; quorum mox disciplina institueret, eruditio doceret, vita prodesset, si vnâ Ecclesiâ contenti gregi Dominico inuigilare studuerint: tum deinde prudentes castosque moderatores vrbium ac Prouinciarum deligere, qui rem tuam atque patriæ vniuersæ ita procurent, vt eorum studia in commune excubent; præterque conscientiam & famam benè gesti magistratus, nihil magis desiderent, nihil ad se pertinere arbitrentur: quandoquidem nihil æquè tranquillum ac florentem Reipublicæ statum præstat, quàm recta administratio; vt non ille tantùm bonus sit, qui regit siue gubernat, sed illi etiam per quos gubernat suum Imperium. Quibus si condignam vis reuerentiam, tuisque sacris iussionibus, REX AVGVSTISSIME, auctoritatem constare; malos & facinorosos homines seuerissimè coërce, pessimumque illum abusum mulctâ pecuniariâ homicidas absoluendi penitus tolle. Aliàs enim eorum audacia, bonorum securitas, Magistratuumque dignitas non poterit esse diuturna. Leges verò consuetudinesque patrias, ipse quàm diligentissimè serua; certo certiùs sciens, quòd nusquam excelsior Principatus fieri soleat, in liberâ præsertim gente, quàm cùm se publico submittit officio. Regibus etenim cetera liberis, hic vnus Imperio modus est præfinitus, vt suas actiones & orationem ad legum præscripta conforment; & præmia pœnasque, maxima societatis continendæ vincula, ex earum sanctionibus diuidant. Iam autem quod non improbè & superbè flagitamus, sed precariò impetrare conamur, maiorem longè vim habet, quàm legum minæ, quàm suppliciorum ostentatio, quàm militum copiæ. Hoc populum sine vi reducit ad modestiam, hoc Regibus ciuium beneuolentiam conciliat, hoc publicè tranquillitatem, priuatimque singulorum opes auget & tuetur. Hinc quoque tibi ciuium amore, REX AVGVSTISSIME, nihil sit antiquius, nihil Reipublicæ dignitate potius, nihil nostrâ Nobilitate

bilitate carius; quam pro tuo munere honoribus orna, diuitiis auge, fauore & beneuolentiâ promoue: & si quid vsquam stirpis antiquæ, si quid residuæ claritatis, hoc complectere & refoue, ac in vsum Reipublicæ prome. Sunt enim plurimæ in Sarmatiâ nostrâ bonæ familiæ, quæ vel fortunæ aduersitate, vel numerositate prolis, vel vicinitate barbarorum qui bella nobiscum continua gerunt, ad infimam conditionem & extremam pænè paupertatem sunt redactæ; nec possunt emergere ex obscuritate, nisi sit qui subleuet, & fauore suo animos eorum abiectos & desperantes erigat. Iam autem non alio modo in honore hominum, & in ore famæ, magna nomina ex tenebris obliuionis eruta constituuntur, nisi indulgentiâ Regis; cuius est, vt nobiles & conseruet, & efficiat. Quamuis non debet esse deterior conditio eorum quoque, qui posteros habere merentur, quàm eorum qui parentes nobiles habuerunt: quandoquidem omnes ciues censendi sunt, qui legibus parent, qui societatem hominum tuentur, qui labores omnes, omnia pericula malunt pro suorum salute obire, quàm in otio ab honestate seiuncto per ignauiam consenescere: quique, vno verbo, non præsentes fructus, sed æternitatis memoriam ante oculos propositam habent. Cùm tamen nescio quomodo maior auctoritas apud homines soleat esse spectatæ Nobilitatis, quàm incognitæ: longeque maiores res ab illis geruntur, quos & exspectatio hominum, & parentum virtus excitat. Hæret enim animis eorum, quasi fax quædam, assidua cogitatio, quæ noctes diesque illos ad egregium aliquid agendum inflammet, quo Maioribus suis digni reperiantur; ac patrimonium gloriæ sibi ab illis relictum, & tueri & augere possint. Cùm autem gens nostra Sarmatica, & totum Poloniæ Regnum, talibus ciuibus, tali Nobilitate abundet, quæ ab antiquo in præclaris potiùs rebus gerendis, quàm in iis quæ gessisset memoriæ prodendis, occupatior fuerit; semperque maiorum suorum virtutes imitari honestiùs quàm celebrare duxerit: proinde non mediocrem apud posteros, REX AVGVSTISSIME, laudem

 obti-

obtinebis, si litteris etiam & ingeniis, pro tuâ innatâ benignitate ac munificentiâ, impensè fauebis, vnicamque Sarmatiæ nostræ gemmam, Academiam Cracouiensem, ordine meliori, ac pinguioribus reditibus, augustiorem reddes; excitabisque passim, Diui tui Patris exemplo, per Prouincias barbaris vicinas, præclara studia, immortalitatis tuæ instrumenta: vt egregia iuuentus in tuos titulos adolescens, te publicum parentem agnoscat, te laudibus in cælum ferat. Quamuis enim plerisque aliis nationibus celeriores animi motus, acrimoniamque maiorem ingenij natura indulserit, quàm nobis; nullam tamen gentem ita prorsus damnauit, vt ad virtutem & gloriam aditum ei præcluserit. Tuisque Sarmatis, REX VLADISLAE, scias non defuisse, tam antiquis quàm nostris temporibus, pulchra belli facinora, sed Scriptores tantùm, qui ea ipsa mandarent litteris. Multique sub Arctico Polo nostro vixere fortes & inclyti, antequam MIECISLAVS cum Religione Christianâ litteras in Poloniam introduxisset, aut Diuus IAGELLO pulsas è Latio & Græciâ Musas tectis magnificis Cracouiæ excepisset; omnes attamen velut longâ nocte sepulti hactenus iacent, quòd non inuenerint sacros Vates, vt fortis olim Achilles, aut pius ille Æneas, qui obliuioni subducerent. Cui vt sese eximeret prudens ille inter Romanos Duces Fuluius, meritò Martis manubias Musis consecrauit; quasi volens Heroas reliquos docere, non armis, sed facundiâ, cum breuitate vitæ ac venturi temporis profunditate decertandum esse. Cùm itaque magni quiuis Dynastæ & Principes, non aliter quàm scribentium pennis, ab inuidiæ nubibus, ad æternitatis sudum post funera ferantur; & nec viuentes etiam aliter, quàm eruditorum ingeniis orbi innotescant: eapropter, REX AVGVSTISSIME, prostratas nunc & afflictas in Poloniâ nostrâ disciplinas, regiâ tuâ liberalitate atque auctoritate restitue, excita & conserua. Illæ autem pro officio & naturâ suâ curabunt, ne quid ex tuis virtutibus posteritatem lateat; sed vt cuncta quæ gesseris, quæque dixeris, publico testimonio ad exemplum

plum proponantur: dicentque omnibus sæculis, & omnibus gentibus, fuisse te, VLADISLAE SIGISMVNDE, aliquando in Sarmatiâ, corruptæ militaris disciplinæ correctorem SCIPIONEM, in Regum studiis sibi adiungendis POMPEIVM, in omnium animis conciliandis CÆSAREM, in demonstrandâ fortitudine LEONIDAM, in cursu victoriarum ALEXANDRVM, in gubernandâ moderatè Republicâ AVRELIVM, in propagandâ Catholicâ Religione CONSTANTINVM MAGNVM, vbi eorum imitatione populos tuæ curæ commissos, optimis moribus, optimis legibus imbueris; conuersisque in CHRISTI hostes mucronibus, Serenissimorum antecessorum tuorum Regum Poloniæ gloriam, non solùm pari metro æquaueris, verùm etiam cumulatissimè, vt speramus & vouemus, excellueris. Sed quid ego hæc apud te, REX AVGVSTISSIME? quasi verò meæ partes sint te adhortandi, ac non potiùs venerandi MAIESTATEM TVAM? aut tu stimulis indigeas vllis, incitandusque cuiquam sis, qui suâ sponte, nihil vmquam nisi arduum, nisi excelsum, nisi singulare, vel cogitas, vel moliris? Nam & prudentia ipsa, cuius tam multa experimenta in rebus bellicis dedisti, & præstans animi magnitudo, quâ tuos Polonos crederis omnes antecellere, & ætas insuper auctoritati retinendæ laboribusque ferendis idonea, atque vigor iste tuus oculorum, ac vultus regius, plenaque dignitatis, plena maiestatis facies; tum ad perficienda quæ ingenerata sunt bona, non segnis virtutum opifex addita disciplina institutioque heroica, ac istud ipsum quod habes VLADISLAI nomen, vt magnum te inter Principes Christianos reddunt, sic maiora adhuc incredibiliaque de te nobis pollicentur ac spondent. Vt nemo mirari debeat, si lætitiam immortalem, gaudium incredibile, voluptatem incomparabilem, quam te Rege nostro declarato concepimus, verbis repræsentare nullo modo possimus. Sed vt fideles tui subditi, candidique pectoris Sarmatæ, simplici affectu & verbis, cùm omnes successus fortunatissimos tibi gratulamur, tum consummatissimam ex eis, atque omnibus numeris absolutam gloriam.

riam optamus. Et quod maximè ad exundantis lætitiæ nostræ perpetuitatem spectare, sermonemque hunc nostrum bono omine concludere putauimus, TE SVMME RERVM SATOR ORAMVS ET QVÆSVMVS, vt patriam nostram, toties in periculis grauissimis tuâ benignitate seruatam, etiam nunc, sub Imperio VLADISLAI REGIS, & in omnia sæcula, sartam tectamque conserues; cumque omnibus eius cœptis & factis ventos secundos præbeas, tum optimæ illius menti prosperos semper exitus largiaris: vt vbi magnâ cum tranquillitate ac pace diu fuerit Regno Poloniæ, quod virtute meruerat, potitus; tandem & illud Suециæ, quod ei iure paterno debetur, multò amplius ac florentius, quàm acceperit, posteris suis relinquat.

DIXI.

APPROBATIO.

Simonis Starouolsci Panegyricum, Serenissimo & Potentissimo Principi VLADISLAO SIGISMVNDO *Poloniæ & Sueciæ Regi consecratum, dignissimum censeo qui typis excudatur ac diuulgetur.*

Gaspar Estrix Plebanus
Antuerpiensis ac Librorum Censor.


LABORE ET CONSTANTIA
C.I.

Hist. Polon.

6, opea